
LIBRARY OF CONGRESS
00003948109


THE LIBRARY OF CONGRESS


THE LIBRARY OF CONGRESS

KEY

TO

ANTHON'S

LATIN PROSE

COMPOSITION.

NEW YORK:
HARPER & BROTHERS, PUBLISHERS,
82 CLIFF STREET.
1849.

A KEY

TO

ANTHON'S INTRODUCTION TO LATIN PROSE COMPOSITION.

---

1. Ego ædifico.—Tu cogitas.—Tempus fugit.—Nos vincimus.— Page 10
Vos natatis.—Homines vivunt.—Domus ardebat.—Hirundines abibant.—Mors eripuit.—Cives receperant.—Lex permittet.—Tyranni puniverint.

---

2. Homines intelligant.—Causa sufficeret.—Nos existimaverimus.—Pompeius dubitavisset.—Crassus tandem vicisset.—Præceptor doceat, discipuli non discent.—Tullius ita dixisset dum nos aberamus.

---

3. Romani vincuntur.—Domus ædificabatur.—Carthago capta est.—Libri conservati sunt.—Pueri missi sint.—Feminæ inventæ essent.—Puella interfecta est.

---

4. Dum Marcus adventat tonat.—Grandinat quotidie, nosque magnopere conturbamur.—Fulgurat et pluit, consulesque statim decedunt.

---

5. Pars vulnerati aut occisi sunt.—Turba fremuerunt.—Multitudo timuerunt, et facile dissipati sunt.—Exercitus corrupti sunt, disciplinaque neglecta est.—Juventus cœperunt.—Plebs sciverunt.

---

1. Seleucus et Antiochus bellum propter Asiam gesserunt.—Car- 11
thago et Numantia ab eodem Scipione deletæ sunt.—Ninus et Se- 12
miramis magnam gloriam adepti sunt.—Hannibal et Philopœmen veneno absumti sunt.—Pompeius, Lentulus, Scipio, Afranius in bellis civilibus fœde perierunt.—Apud Regillum, bello Latinorum, in acie Romana Castor et Pollux ex equis pugnare visi sunt.

---

2. Tenuitas, densitas, candor, lævor, in chartis spectantur.—Promissa cæsaries, habitusque corporis non cultus munditiis sed virilis

Page

vere ac militaris Scipionem adornabat.—Ratio et oratio conciliat inter se homines.—Fames et sitis sunt molestæ.—Imprimis propria est veri inquisitio atque investigatio.—Cibo et potione fames sitisque depellitur.—Frons, oculi, vultus, persæpe mentiuntur; oratio vero sæpissime.

Sub idem tempus, et Marcellus ad deprecandam ignaviam, et Q. Fulvius, consul, comitiorum causa, Romam venit.—In Miltiade erat quum summa humanitas tum mira comitas; magna auctoritas apud omnes civitates; nobile nomen; laus rei militaris maxima.

---

13 Hæc si neque ego neque tu fecimus, non sivit egestas nos facere. —Uno facto meo et tu et omnes mei amici corruistis.—Ego ac tu simplicissime inter nos hodie loquimur.—Errastis, Rulle, vehementer et tu et nonnulli collegæ tui, qui sperastis vos posse populares esse.

---

14 1. Nunquam est utile peccare, quia semper est turpe.—Peccatum est patriam prodere.—Secernere a corpore animum nec quicquam aliud est quam emori discere.—Rudem esse omnino in nostris poetis aut inertissimæ segnitiæ est, aut fastidii delicatissimi.

---

2. Parentes suos non amare impietas est: non agnoscere insania. —Diligere parentes prima naturæ lex est.—Ars est difficilis recte rempublicam regere.—Turpe est aliud loqui, aliud sentire.—Imperare sibi maximum est imperium.

---

3. Apud Persas summa laus erat fortiter venari.—Non referre beneficiis gratias et est turpe, et apud omnes habetur.—Nihil est aliud pulchre et oratorie dicere, nisi optimis sententiis verbisque lectissimis dicere.—Salutare benigne, et comiter unumquemque appellare, est haud unquam injucundum.

---

15 1. Otho, vir fortis, et necessarius meus, equestri ordini restituit dignitatem.—Themistocles, imperator bello Persico, Græciam, domum libertatis, servitute liberavit.—Consulem misimus, virum fortissimum, cum exercitu.—Effodiuntur opes, irritamenta malorum.—Amicos consules habemus, et nostrum tribunum plebis Furnium.—Datum est Neptuno, alteri Jovis fratri, maritimum omne regnum.

---

2. Romani cum Tigrane, Armeniorum rege, bellum gesserunt.—Adriaticum mare, ab Adria, Tuscorum colonia, vocabant Italicæ

gentes.—Apud Herodotum, patrem historiæ, sunt innumerabiles fabulæ.—Brutus et Cassius, interfectores Cæsaris, ingens bellum moverunt.—Quid respondeam liberis meis, qui te parentem alterum putant?—Quoties tu me designatum, quoties consulem interficere conatus es?

---

3. Thebæ, Bœotiæ caput, sub Monte Cithærone sitæ fuerunt.— **16**
Hoc docuit usus, magister egregius.—Philosophia inventrix legum, magistra morum et disciplinæ erat.—Beatæ vitæ effectrix sapientia est.—Pythagoras, genetricem virtutum, frugalitatem omnibus commendabat.—Fortuna, illa rerum humanarum domina.—Omitto Græciam, atque illam omnis doctrinæ inventricem Athenas.—Boni imitatrix voluptas est, omniumque malorum mater.

---

4. Titus, humani generis deliciæ, optimus princeps vocabatur.—Græci milites, præcipua spes et propemodum unica, ad Darium pervenerunt.—Tullia, nostræ deliciæ, mortua est.—Cneus et Publius Scipiones, duo fulmina Romani imperii, subito in Hispania extincti sunt.—Dicæarchus, meæ deliciæ, acerrime disserebat.—Cæsari, quæstori, ulterior Hispania obvenit.—Mortem, ut finem miseriarum, expecto.—Auri argentique usum, velut omnium scelerum materiam, sustulit Lycurgus.—Manlius Torquatus filium suum, quia contra imperia pugnaverat, quamvis victorem, occidit.

---

1. Hoc quis negabit? Marcus, frater tuus.—Quæ amicitia possit **17**
esse inter ingratos? Nulla.—Cujus auxilio hoc fecisti? Pisonis.—Quo in loco te exspectem? Foro.—Quibus verbis hoc dixit? Lectis et propriis.—Cui puerum tradidisti? Patri ac matri.—Quidnam est? Puerile est.—Quem igitur rogem? Davum.—Quis hic loquitur? Herus.—Quid agam?—Quos homines enecuisti? Patriæ proditores.

---

2. Cujus puerum hic apposuisti? Nostrum.—Quorum causa nunc facio obsidium? Vestra.—Cujusnam vox prope me sonat? Tua.—Cujus filia fuit? Cæsaris.

---

1. Homerus solus appellari poeta meruit.—Socrates parens phi- **18**
losophiæ jure dici potest.—Plane cupit fieri tribunus plebis.—Alexandri Magni reges ex præfectis facti sunt amici.—Vetus Græcia merito omnium artium parens nominatur.—Augustus mensis olim Sextilis vocabatur.

Page

2. Post Romulum Numa rex creatus est.—Stellæ fixæ recte soles putantur.—Nemo civis Romanus potest amittere libertatem invitus. —Venies carus expectatusque omnibus.—Oracula evanuerunt postquam homines minus creduli esse cœperunt.—Num humilitas aut ignobilitas sapientem beatum esse prohibebit?—Amo filiam tuam, et certo scio illam esse amabilem.

---

3. Vir bonus difficillime alios esse improbos suspicatur.—Illud quæro: peregrinum cur me esse dicis?—Spero popularem me fore consulem.—Alam trecentorum equitum, quam Scipio comparavit, egregiam evasisse ferunt.—Tradunt in Pæonia feram esse, quæ Bonasus vocetur, equina juba, cetera tauro similem.

---

19 Certe ignoratio futurorum malorum utilior est quam scientia.—Decet cariorem esse patriam nobis quam nosmet ipsos.—Livius neminem fidelius dare posse consilium dixit, quam eum qui ea alteri suadebat, quæ ipse, si in eodem loco esset, facturus fuerit.—Solem mathematici multis partibus confirmant majorem esse quam terram. —Necessitatis inventa antiquiora sunt quam voluptatis.—Defectio virium adolescentiæ vitiis efficitur sæpius quam senectutis.—Magis ea percipimus, quæ nobis ipsis aut prospera aut adversa eveniunt, quam illa quæ ceteris.

---

20 1. Magnus vir responderat.—Liber populus cupiebat.—Unum dedecus restat.—Exitiosum bellum impendet.—Ea lex jubet.—Ceteri ordines liberati sunt. — Nobilissimi homines venerunt. — Magnus error versatur.—Vestra libertas ademta est.—Nulla fraus profertur. Nullæ privatæ epistolæ ostenduntur.—Humana consilia ceciderunt. —Nostra tota acies interiit.

---

2. Multas a te accepi epistolas, omnes diligenter scriptas.—Optimæ leges hac lege sine ulla exceptione tollentur.—Pauca nunc dicam ad reliquam orationem tuam.—In fuga fœda mors est, in victoria gloriosa.—In republica maxime conservanda sunt jura belli.—Meam tuorum erga me meritorum memoriam nulla unquam delebit oblivio. —Sermonem tuum et Pompeii cognovi ex tuis literis.—Non est ab homine nunquam sobrio postulanda prudentia.

---

3 Sunt fuci sine aculeo velut imperfectæ apes, et quasi servi verarum apium.—Auxilia regis, impedita ac perturbata, quod nullo ordine iter fecerant, in fugam se conjiciunt.—Pecudes dispulsæ sui generis sequuntur greges.—Dionysius concionari ex alta turre sole-

Page

bat.—Centum ærei vectes belli portas claudunt.—Cæsar in extremo ponte turrim tabulatorum quatuor constituit, eique loco Titum Vulturcium præfecit.

De se ipso dicere est senile.—Incertum est quam longa nostrum 21
cujusque vita futura sit.—In scientia excellere pulchrum putamus; errare autem, nescire, decipi et malum et turpe ducimus.—Magnum est eadem habere monumenta majorum.—Non est consentaneum, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate.—Rectum est etiam in illis contentionibus, quæ cum inimicissimis fiunt, gravitatem retinere, iracundiam pellere.—Est non modo liberale, paullum nonnunquam de suo jure decedere, sed interdum etiam fructuosum.

Gens Etrusca, ante omnes alias dedita religionibus, auxilium Vei-
entibus negavit, donec sub rege essent.—Nec ita claudenda est res 22
familiaris, ut eam benignitas aperire non possit, nec ita reseranda, ut omnibus pateat.—Aliena vitia quisque reprehendi mavult quam sua.

Nec Pompeius ferebat parem, nec Cæsar superiorem.—Servi qui in vestibulo erant, ut armatos conspexerunt, rati actum esse de dominis, vociferant, missos esse qui occiderent captas.—Facilius est excludere perniciosa quam regere; nam quum se in possessione posuerunt, potentiora rectore sunt.

Audita quam visa laudamus libentius, et præsentia invidia, præte- 23
rita veneratione prosequimur.—Ad regem præliantium clamor pervenerat, quum loricam sumsit et ad prima signa venit.—Mardonius, incensis quæ cœperant ædificare Athenienses, copias in Bœotiam transfert.—Hannibal Iberum copias trajicit, præmissis qui Alpium transitus specularentur.

Terentius non negat, se personas transtulisse in Eunuchum suam. —Mea Glycerium, mulieri dixit, quid facis? cur te is perditum?—Ubi ille est scelus, qui me hodie perdidit?—Illum omnes dei deæque senium perdant, qui me hodie remoratus est. Duo millia crucibus affixi sunt.—Capita conjurationis virgis cæsi ac securibus percussi sunt.—Magna Centauro invehitur.

Metellum multi filii, filiæ, nepotes, neptes, in rogum imposuerunt. 24
—Perspicua sua consilia conatusque omnibus fecit.—Homines, bestiæ, pisces, et aves a Deo creati sunt.—Regnum, libertas, et vita

Page

ademta sunt.—Cerere nati sunt Liber et Libera.—Tanaquil et Lucumo, magnas spes secum portantes, urbem ingressi sunt.—Rex regiaque classis una profecti sunt.—Pax et concordia, victis utilia,
25 victoribus tantum pulchra sunt.—Stultitiam, et temeritatem, et injustitiam, et intemperantiam dicimus esse fugienda.

In civitate libera, lingua mensque liberæ esse debent.—Juventas Terminusque, illa juventutis dea, hic terminorum deus, a sedibus suis in Capitolio moveri se non sunt passi.—Decem ingenui, decem virgines, patrimi omnes matrimique, ad sacrificium delecti sunt.—Cererem et Liberum invocat Virgilius, quod horum fructus maxime necessarii sunt ad hominum utilitates.—Inter se contraria sunt beneficium et injuria.—Non cibus nobis, non humor, non vigilia, non somnus, sine mensura quadam salubria sunt.—Murus et porta de cœlo tacta sunt.

---

26 Non admiror Vatinium, quod meam legem contemnat, hominis inimici.—Incipio ex hoc studio non solum oblectationem verum etiam gloriam petere, postquam tuo judicio probatum est, viri gravissimi et eruditissimi.—Samnites omnia se expertos esse dixerunt, si suismet ipsorum viribus tolerare tantam molem belli possent.—Censuit senatus, quos ludos consul ex sua unius sententia vovisset. eos de manubiis faceret.

Quum feræ bestiæ cibum, ad fraudem suam positum, plerumque adspernentur, nos specie parvi beneficii inescamur, et nostram ipsorum libertatem subrui patimur.—Mithradates sine cujusquam militum auxilio suamet unius opera Cappadociam se cepisse dixit.—Nonne ei meas præsentis preces profuturas fuisse putas, cui nomen meum absentis honori fuerat?

---

27 Græci matutini appropinquarunt, lætique prælium inierunt.—Philotimus nullus advenit.—Noli putare, me, cum a te discessero, nusquam aut nullum fore.—Eundem igitur esse credite, etiamsi me nullum videatis.—Tibi penitus totosque nos tradimus.—Priori Remo augurium venit.—Romani frequentes convenerunt.—Si vespertinus subito te oppresserit hospes.—Recens ad Regillum accepta clades.—Nullus dubito quin matutinus adveniat.—Romam seræ avaritia atqua luxuria immigraverunt.

---

29 Sol qui terram et illustrat et calefacit.—Europa, quam nos incolimus, parva quidem pars terræ est, sed frequentissima.—Ope acus

Page

magneticæ, cujus usum veteres ignorabant, America detecta est.—Sylvæ multas feras alunt, quarum coriis et pellibus teguntur homines.—Vasa clausa, in quibus aqua congelascit, dissiliunt.—Amicitia quæ desivit nunquam vera amicitia fuit.—Felix quem faciunt aliena pericula cautum.—Celebramus diem, quo novum annum ordimur.—Virtus et doctrina sunt divitiæ, quas nullus fur auferre potest.—Posteri multas artes invenient quas nos nondum invenimus.

Nulla est natio quam timemus.—Consules ad eum exercitum, quem in Apulia habebam, venerunt.—Omnes causæ, quas commemorasti, justissimæ sunt.—Non sumus ii, quibus nil videatur esse verum.—Murex rubrum succum edit, quo olim purpureæ vestes inficiebantur —Nautilus in testa pulcherrima vivit, quæ e multis loculis constat.—Nullum animal, quod sanguinem habet, sine corde
esse potest.—Arbores serit agricola, quarum fructum ipse nunquam **30**
aspiciet.—Fundamentum perpetuæ famæ est justitia, sine qua nihil potest esse laudabile.

Non requirunt homines rationes earum rerum quas semper vident.—Erant hæ difficultates belli gerendi, quas supra ostendimus.—Omittam Græciam, quæ semper eloquentiæ princeps esse voluit.—Mors est migratio in eas oras, quas illi qui e vita excesserint incolunt.—Tu epistolam meam sæpe recitas, quam ego ad Cneum Pompeium misi.—Illi impii quos cecidisti, pœnam parricidii luent.

Vides eas fruges atque fructus, quæ terra gignit.—Vici ædificiaque, quæ adire poterant, incensa fuerunt.—Grandes natu matres et parvi liberi, quorum utriusque ætas industriam meam requirebat, idem faciebant.—Mens, Pietas, Virtus, Fides, consecrantur, quarum omnium Romæ templa publice dedicata sunt.—Attali regis legatus naves captivosque, qui ad Chium capti erant, postulavit.

Agin regem Lacedæmonii, quod nunquam antea apud eos accide- **31**
rat, necaverunt.—Timoleon, id quod difficilius putatur, sapientius tulit secundam quam adversam fortunam.—Id quod nullo ante bello acciderat, duo consules, sine memorando prælio interfecti, velut orbam rempublicam reliquerant.—Socrates mihi videtur, id quod constat inter omnes, primus a rebus occultis avocavisse philosophiam.—Primus gradus ad sapientiam est te ipsum novisse, quod ut est difficillimum, ita utilissimum omnium.—Majores tuos respice, atque ita guberna rempublicam ut natum te esse cives tui gaudeant, sine quo nec beatus, nec clarus, esse quisquam potest.

Page

Qui facile credit, facile decipitur.—Lauda quod laudem meretur. —Quæ recta sunt merito laudantur.—Nobilis est, quem sua virtus nobilitat.—Qui artem aliquam didicit, ubique victum inveniet.—Mors æquabit quos pecunia separavit.—Contemnuntur jure qui nec sibi nec aliis prosunt.—Qui nihil agere videntur sæpe majora agunt quam alii.—Terra nunquam recusat imperium, nec unquam sine usura reddit quod accepit.—Quibus antea Darius præter jacula nihil dederat, scuta gladiique adjiciebantur.

---

33 Qui Darium vehebant equi, confossi hastis, et dolore efferati, jugum quatere et regem curru excutere cœperant.—Ambigatus, exonerare prægravante turba regnum cupiens, filios missurum se esse in quas dei dedissent auguriis sedes ostendit.—In quem locum primum egressi sunt, Troja vocatur.—Quæ prima innocentis mihi defensio oblata est, suscepi.

Ad quas res aptissimi erimus, in iis potissimum elaborabimus.—Bestiæ in quo loco natæ sunt, ex eo se non commovent.—Plerique quæ ipsi non tribuunt amicis hæc ab iis desiderant.—Memoria Hortensii tanta erat, ut quæ secum commentatus esset, ea sine scripto verbis iisdem redderet quibus cogitavisset.—Africanus, Carthagine deleta, Siculorum urbes signis pulcherrimis exornavit, ut quos victoria populi Romani maxime lætari arbitrabatur, apud eos monumenta victoriæ plurima collocaret.—Quorum patres aut majores aliqua gloria præstiterunt, ii student plerumque eodem in genere laudis excellere.—Quam quisque novit, in ea arte se exerceat.

---

34 Nullus est dies, quo die non dicam pro reo.—Diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani omnes conveniant.—Causas habent milites, quibus de causis missi fieri debent.—Quoad is numerus effectus esset, quem ad numerum in provincias mitti oporteret.—Nullo modo animus audientis incitari aut leniri potest, qui modus a me non tentatus sit.

---

35 Themistocles de servis suis quem habebat fidelissimum ad Xerxem misit.—Agamemnon, quum devovisset Dianæ quod in suo regno pulcherrimum nasceretur illo anno, immolavit Iphigeniam.—Julius Cæsar diversorio, quod unum erat, Caio Oppio cessit.—Publius Volumnius L. Julium Calidum, quem post Lucretii Catullique mortem multo elegantissimum poetam nostra ætas tulit, in proscriptorum numerum retulit.—Volsci, acie victi, Volscas, urbem quam habebant optimam, perdiderunt.—Incertus erat Hannibal, utrum cœptum in

Page

Italiam intenderet iter, an cum eo qui primus se obtulisset Romanorum exercitu manus consereret.

Prima extra Italiam colonia Carthago a Romanis condita est.—Quæ pars civitatis Helvetiæ insignem calamitatem populo Romano intulerat, ea princeps pœnas persolvit.—Ætas, qua Pericles vixit, 36
prima Athenis oratorem prope perfectum tulit.

Thrasybulus, quum Phylen confugisset, quod est castellum in Attica munitissimum, non plus habuit secum quam triginta de suis.—Pausanias Spartam redire nolebat, et Colonas, qui locus in agro Troade est, se contulit.—Mago ad colloquium Suffetes, qui summus Pœnis magistratus est, elicuit, laceratosque verberibus cruci affigi jussit.

Ex Sicilia me ad Leucopetram, quod est promontorium agri 37
Rhegini, venti detulerunt.—Homines domicilia sua conjuncta quas urbes dicimus mœnibus sepserunt.—Carcer est a crudelissimo tyranno Dionysio factus, Syracusis, quæ Lautumiæ vocantur.—Pœni, quum ab Oreo profectum Attalum Romanosque audivissent, veriti sunt ne intra Rhium (fauces eæ sunt Corinthii sinus) opprimerentur.

Num censes eos, qui divinare dicuntur, posse respondere sol majorne sit quam terra, an tantus quantus videatur?—Hoc brevissime 38
dicam, neminem unquam tam impudentem fuisse, qui a diis immortalibus tot et tantas res auderet optare, quot et quantas dii immortales ad Cneum Pompeium detulerunt.—Quid hoc miserius, quam eum, qui tot annos quot habet designatus consul fuerit, fieri consulem non posse?—Stoicorum dictum est, nullam esse pilam omnibus rebus talem qualis sit pila alia.—Quot orationum genera esse diximus, totidem oratorum reperiuntur.

In his locis quæ nos incolimus post solstitium Canicula exoritur, apud Troglodytas, ut scribitur, ante solstitium.—Si turpia sunt quæ facis, quid refert neminem scire quum tu scias?—Ego reges ejeci, vos tyrannos introducitis; ego libertatem, quæ non erat, peperi, vos partam servare non vultis; ego capitis mei periculo patriam liberavi, vos liberi sine periculo esse non curatis.—Excellentissimi fuerunt, ut nos judicamus, Persarum reges, Cyrus et Darius Hystaspis 39
filius.—Ego, si ab improbis et perditis civibus rempublicam teneri viderem, non ad eorum causam me adjungerem; ne si summa quidem eorum in me merita constarent.—Tu a civitatibus pecunias

Page

classis nomine coëgisti? tu pretio remiges dimisisti?—Si feræ partus suos diligunt, qua nos in liberos nostros indulgentia esse debemus?

Equidem non video cur quid ipse sentiam de morte, non audeam vobis dicere.—Equidem nunquam domum misi unam epistolam, quin esset ad te altera.—Equidem doleo, non me de his rebus tuis literis certiorem fieri.—Accipiam equidem dolorem mihi illum irasci, sed multo majorem, non esse eum talem qualem putassem.

40 1. Quoniam vita ipsa qua fruimur brevis est, memoriam nostri quam maxime longam efficere debemus.—Quid sit animus ille rector dominusque nostri, non magis tibi quisquam expediet, quam ubi sit.—Cur Deus, omnia nostri causa quum faceret, tantam vim rerum mortiferarum terra marique dispersit?—I, secundo omine, et nostri memorem sepulchro scalpe querelam.—Nemo nostrum idem est in senectute qui fuit juvenis.

2. Patria quæ communis est omnium nostrum parens odit te ac metuit et judicat te de parricidio suo cogitare.—Ex infimo specu vocem redditam esse dicunt, "Imperium summum Romæ habebit, qui vestrum primus osculum matri dederit."—Mihi molestior est lippitudo etiam quam antea fuerat, dictare tamen hanc epistolam malui, quam Gallo Fabio, amantissimo utriusque nostrum, nihil ad te literarum dare.

41 1. Atticus non se florentibus venditavit, sed afflictis semper succurrit.—Agesilaus in Phrygiam se convertit, eamque prius depopulatus est, quam Tissaphernes usquam se moveret.—Eumenes præfectis Antigoni imposuit, seque ac suos omnes extraxit incolumes.—Hannibal sensit se peti, neque sibi diutius vitam esse retinendam.—Non dubito dicere, omnem ætatem esse conservatricem sui.

2. Quintus frater purgat se multum per literas, et affirmat nihil a se de te secus esse dictum.—Allobroges, qui trans Rhodanum vicos possessionesque habebant, fuga se ad Cæsarem recipiunt, et demonstrant sibi, præter agri solum, nihil esse reliqui.—Romulus Julio Proculo dixit, se deum esse, et Quirinum vocari.

42 3. Justitia propter sese colenda est.—Dionysius verebatur, ne, si Dionem secum haberet, aliquam occasionem daret sui opprimendi.—Se quisque diligit, non ut aliquam a se ipso mercedem exigat caritatis suæ, sed quod per se sibi quisque carus est.—Adolescens, dex-

Page

tram Scipionis tenens, deos omnes invocavit ad gratiam illi pro se referendam, quoniam sibi non satis facultatis pro suo animo atque illius erga se merito esset.

---

4. Darius dixit, se hostem esse Atheniensium, quod eorum auxilio Iones Sardes expugnavissent.—Perfuga venit in castra Fabricii, eique est pollicitus, se, ut clam venisset, ita clam in Pyrrhi castra rediturum, et eum veneno necaturum.—Germani agriculturæ non student, majorque pars victus eorum lacte et caseo et carne consistit.

---

1. Imperavit Hannibal puero, ut omnes ædificii fores circuiret ac propere sibi renunciaret num eodem modo undique obsideretur.—
Pythius, qui, ut argentarius, apud omnes ordines gratiosus erat, pis- 43
catores ad se convocavit, et ab his petivit, ut ante suos hortulos postridie piscarentur.—Pompeius dixit, rempublicam Romanam justissimas Arpino municipio gratias debere, quod ex eo duo conservatores ejus extitissent.

---

2. Plerique milites Cæsaris capti concessam sibi sub conditione vitam, si militare adversus eum vellent, recusarunt.—Themistocles domino navis qui sit aperit, multa pollicitus si se servasset.—Ipsi Deo nihil minus gratum est quam non omnibus patere ad se placandum et colendum viam.

---

1. Quum præstantem esse Numam Pompilium fama ferret præter- 44
missis suis civibus regem alienigenam sibi ipse populus adscivit.—Tu quum tibi Deus dederit animum, quo nihil est præstantius neque divinius, sic te ipse projicies, ut nihil inter te et quadrupedum aliquem putes interesse?

---

2. Antiphonte Rhamnusio neminem unquam melius oravisse capitis causam, quum se ipse defenderet se audiente, locuples auctor scripsit Thucydides.—Præcipuus erat labor eorum qui humeris onera portabant; quippe quum semetipsos regere non possent, in rapidos gurgites incommodo onere auferebantur.

---

3. Primam ex natura hanc habemus appetitionem, ut conservemus nosmetipsos.—Celeritas atque vis quadrupedum nobis ipsis affert vim et celeritatem; nos elephantorum acutissimis sensibus; nos
sagacitate canum ad utilitatem nostram utimur.—Tu in provinciam 45
ire noluisti; non possum id in te reprehendere, quod in me ipso et prætor et consul probavi.—Ipsis Nonis Sextilibus, idem dies adven-

Page

tus mei fuit, natalis idem carissimæ filiæ.—Annis octoginta tribus ipsis ante me consulem mortuus est.—Triginta dies ipsi decesserunt.

---

47 1. Cur tu in isto loco sedes?—Ista beatitas cur aut in solem illum aut in hunc nostrum mundum cadere non possit?—Mare illud, quod nunc purpureum videtur, idem huic nostro sapienti videbitur.—Quid est hoc? quæ ista impudentia?—Te isti virum do.—Permulti optimi viri in hæc loca venerunt, valetudinis causa.—Si me expediero, in istum locum veniam.—Nunc autem opto, ut ab istis Orientis partibus virtus tua eluceat.

---

2. Gravius in Romanos, quam in Latinos transfugas animadvertebant. Illos tanquam patriæ fugitivos crucibus affixit, hos uti socios perfidos securibus percussit. — Cæsar et Pompeius diu inter se contendebant, ille quia neminem superiorem, hic quia neminem parem ferre poterat.—Cicero ad Atticum sæpissime scribebat, nec hic vicissim literas mittere intermittebat.—Corydon et Thyrsis ducebant greges: hic oves, ille capellas.—Ciceronem, illum magnum oratorem, audiamus.—Quem nostrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non valde commovet?—Publius Sylla nuper is homo
48 fuit in civitate, ut nemo ei se honore anteferret.—Neque enim tu is es, qui, qui sis, nescias.

---

1. Diis rite placatis, delectum consules habebant, acrius intentiusque quam prioribus annis quisquam meminerat habitum.—Opes suas libens senatus in medium protulit, nec præter quod in bullis singu-
49 lisque annulis erat, quidquam sibi auri reliquere.—Videte quanto tetrior tyrannus Syracusanis Verres fuerit quam quisquam superiorum; quum illi ornaverint templa deorum immortalium; hic etiam deorum monumenta atque ornamenta sustulerit.—Quidquam tu illa putas fuisse de valetudine Pompeii decreta municipiorum, præ his de victoriis Cæsaris gratulationibus.—Legendus est Caius Gracchus, si quisquam alius juventuti; non enim solum acuere sed etiam alere ingenium potest.

---

2. Aureo sæculo non erat cuiquam aut animus in injuriam aut causa.—Virtus nihil in se habet magnificum si quidquam habet venale.—Quisquamne divinare potest quid vitii in auspiciis futurum sit nisi qui de cœlo servare constituit?—Diutius Babylone quam usquam constitit Alexander; nec ullus locus disciplinæ militari plus nocuit. —Non est quisquam gentis ullius, qui, ducem naturam nactus, ad virtutem pervenire non possit.

Page

3. Nolite existimare, Judices, non unam et eandem omnibus in locis esse fraudatorum impudentiam ; fecit eadem quæ nostri debitores solent ; negavit se omnino versuram ullam fecisse Romæ.—Ferretne ulla civitas latorem istius modi legis, ut condemnaretur filius aut 50
nepos si pater aut avus deliquisset?—Quum emendati mores amicorum sunt, tum sit inter eos omnium rerum, consiliorum, voluntatum, sine ulla exceptione, communitas.—Nego esse quidquam a testibus dictum, quod cujusquam oratoris eloquentiam quæreret.—Civis est nemo, extra contaminatam illam Publii Clodii manum, qui rem ullam de meis bonis attigerit.

---

1. Inter Syllanæ crudelitatis exempla est, quod a republica liberos 51
proscriptorum submovit ; nihil enim iniquius esse potest, quam aliquem paterni odii hæredem fieri.—Hæ quidem artes, si modo aliquid, valent ut acuant et tanquam irritent ingenia puerorum, quo facilius possint majora discere.—Tenet aures vel mediocris orator, sit modo aliquid in eo ; nec ulla res plus apud animos hominum quam ordo et ornatus orationis valet.

---

2. Quem mihi dabis qui aliquod pretium tempori ponat? qui diem æstimet? qui intelligat se quotidie mori?—Minima dii negligunt, neque agellos singulorum nec viticulas persequuntur ; nec si uredo aut grando quippiam nocuerit, id Jovi animadvertendum est.—Pecuniam si cuipiam fortunâ ademerit aut si alicujus eripuerit injuria, tamen dum existimatio est integra facile consolatur honestas eges- 52
tatem. — Utrum gravius aliquid in quempiam dici potest, quam ad hominem condemnandum, quem nunquam vidisset nec audisset, adductum pretio esse?—Aliquam severitatem, ad firmandam militarem disciplinam, necessariam esse Scipio existimavit.

---

1. Hoc est natura datum, ut vultum dirigamus ad auditores, si quam rem docere eos velimus.—Araneæ rete texunt, ut si quid inhæserit conficiant.—Num quis irascatur pueris, quorum ætas nondum novit rerum discrimina?—Turpis excusatio est, et minime accipienda, si quis contra rempublicam se amici causa fecisse fateatur.
—Quo quis versutior et callidior est, hoc invisior et suspectior, de- 53
tracta opinione probitatis.

---

2. Dolere se aiebat Demosthenes, si quando opificum antelucana victus esset industria.—Danda est opera, ne qua amicorum dissidia fiant.—Sequebantur funus epulæ, quas inibant propinqui coronati ; apud quas de mortui laude, quum quid verum erat, prædicatum est ;

Page

nam mentiri nefas habebatur.—Augustus itinera lectica et noctibus fere, eaque lenta faciebat; ut Præneste vel Tibur biduo procederet; ac si quo pervenire mari posset, potius navigabat.—Nihil vidi tam mite quam meus frater in sororem tuam; ut etiam si qua fuerat sumta offensio non appareret.

---

54 Quodam tempore natus sum; aliquo moriar.—Quendam ex amicis hortatus est, ut in equum suum ascenderet et fuga se reciperet.—Est quidam, qui ait se scire ubi illa sit.—Hoc a quodam Octavio audivi.—Sentio majorem quendam timorem in urbe esse.—Minutius, quem tu quibusdam literis ad cœlum extulisti, dicit majus hoc quoddam esse, quam homines opinantur.—Verbum mihi deest, quum ego hanc potestatem regiam appello, sed profecto est major quædam.—Fateor in ista ipsa potestate inesse quiddam mali.

---

55 Cavendum est ut ne quod in nobis insigne vitium fuisse dicatur.—Decrevit senatus ut consul videret, ne quid respublica detrimenti caperet.—In Numa Pompilio, in Servio Tullio, in cæteris regibus, quorum multa sunt eximia ad constituendam rempublicam, numquod eloquentiæ vestigium apparet?—Rufium agentem aliquid in emporio Puteolanorum salutavi; et postea jussi valere, quum me numquid vellem rogasset.

---

56 1. Quum agere cœpisset Metellus Celer, tertio quoque verbo orationis suæ me appellabat.—Quinto quoque anno tota Sicilia censetur.—Tricesimo quoque die talenta Attica xxxiii Pompeio solvuntur.—Vix decimus quisque est in foro, qui sese noverit.—Altissima quæque flumina minimo sono labuntur.—Aptissima sunt ad excludendum recentissima quæque ova.—Stultissimum credo ad imitandum non optima quæque proponere.

---

2. Credulitas error est magis quam culpa, et quidem in optimi cujusque mentem facillime irrepit.—Placet Stoicis suo quamque rem nomine appellare.—Destinaverat Augustus jus civile ad certum modum redigere, atque ex immensa diffusaque legum copia, optima quæque et necessaria in paucissimos conferre libros.—Totidem sunt
57 voces quot in orbe homines, et sua cuique.—Omnia veniebant Antonio in mentem, eaque suis quæque locis, ubi plurimum valere possent.—Siculi, ut primum viderunt ex gravitate loci vulgari morbos, in suas quisque propinquas urbes dilapsi sunt.—Pictorum Græcorum tanta est multitudo, tanta in suo cujusque genere laus, ut quum summa miremur, inferiora etiam probemus.

Page

1. Dei notitiam nulla res effugit.—Senati officium est consilio civitatem juvare.—Chabrias in Ægyptum Nectanebin adjutum profectus est.—Crescentem sequitur cura pecuniam.—Stella Veneris Hesperus dicitur, quum subsequitur solem.—Alit æmulatio ingenia, et nunc invidia nunc admiratio imitationem accendit.—Pompeius tribunitiam potestatem restituit, cujus Sylla imaginem sine re reliquerat.—Milites quos Persæ Immortales vocabant aureos torques, vestem auro distinctam habebant, manicatasque tunicas, gemmis etiam adornatas. 58

---

2. Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates.—In referenda gratia debemus imitari agros fertiles, qui plus multo afferunt, quam acceperunt.—Naturæ sollertiam nemo opificum consequi potest imitando.—Animantia quædam animum habent, quædam tantum animam.—Omne fere genus bestiarum Ægyptii consecraverunt; piscem Syri venerantur.—Nec vero Phidias, cum faceret Jovis statuam aut Minervæ, contemplabatur aliquem e quo similitudinem duceret.—Timanthes, quum videret se Agamemnonis luctum penicillo imitari non posse, caput ejus obvolvit.

---

1. Alexander adire Jovis Ammonis templum statuit.—Pythagoras 60
et Ægyptum lustravit et Persarum Magos adivit.—Timotheus socios adjunxit Epirotas omnesque eas gentes quæ mare illud adjacent.—Triginta tyranni Socratem circumsteterunt, nec potuerunt animum ejus infringere.—Marcellus tres annos circumsedebat Syracusas.—Cæsar, castris potitus, milites montem opere circumvenire jubet.—Spartam Eurotas amnis circumfluebat, qui pueritiam indurat ad futuræ militiæ patientiam.—Atticus mori decrevit, et die quinto, postquam id consilium inierat, decessit.

---

2. Urbem Celænas mediam interfluebat Marsyas amnis, fabulosis 61
Græcorum carminibus inclytus.—Pythagoras multas regiones barbaras pedibus obiit.—Taurus mons Ciliciam præterit, Armeniæque montibus jungitur.—Equidem non eos solum convenire aveo, quos ipse cognovi, sed illos etiam de quibus audivi et legi.—Si Clodium convenero plura ad te ex illius sermone scribam.—Acceperat in sinum Darii uxor filium, nondum sextum ætatis egressum annum, in spem tantæ fortunæ quantam paulo ante pater ejus amiserat genitum.

---

1. Vina fere dulces olebant mane Camenæ.—Unguentum multo magis laudabit, quod ceram, quam quod crocum olet.—Nihil in amici
tui sermone peregrinum olet.—Et verbum et vox hujus alumnum 62

Page
62 urbis olent, ut oratio plane Romana videatur, non civitate donata.—Non omnes possunt olere unguenta exotica ut tu oles.—Illa tuas redolent, Phineu, medicamina mensas.—Cella vinaria bonis odoribus suffienda est, ne quem redoleat fœtorem.—In Hispania mella in spartariis eam herbam sapiunt.—Pendere ad lanium quidam vidit simium, et quæsivit, quidnam saperet.—Desiste, recte ego res meas sapio, Callipho. Pecca mea sunt.—Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam.

---

2. Nec sitio honores, nec desidero gloriam.—Suum infensi invicem sitiant cruorem.—Sitit meritos etiam nunc hæc hasta cruores.—Ardet formosam pastor puellam, pastorem puella odit.—Donec non aliam magis ardebas, nec erat Lydia post Chloën.—Milites muros ascendunt; sed a Brundisinis moniti ut vallum cæcum fossasque caveant, subsistunt.—In januam hæc verba inscribi jussit: "Cave canem."

---

63 1. Nunquam primi consilii Deum pœnitet.—Qui secus quam decuit vixerunt, peccatorum suorum tum maxime pœnitet, quum instare mortem videant.—Me non solum piget stultitiæ meæ verum etiam pudet.—Eorum nos magis miseret, qui nostram misericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant.—Prorsus me vitæ tædet; ita sunt omnia miseriarum plena.—Decemviros desiderastis; creari passus est senatus; decemvirorum vos pertæsum est; coegit senatus abire magistratu.—Sunt homines, quos libidinis infamiæque suæ neque pudeat, neque tædeat, qui quasi de industria in odium populi irruere videantur.

---

64 2. Quum starent, deligati ad palum, filii Bruti, miserebat non pœnæ magis homines, quam sceleris quo pœnam meriti essent.—Neque nos neque alios industriæ nostræ pœnitebit.—Me pudet non tui quidem, cujus memoriam semper admiratus sum, sed Chrysippi.—Me quidem miseret parietum ipsorum atque tectorum.—Næ vos jam mecum in gratiam rediretis, si sciretis quam me pudeat nequitiæ vestræ, cujus vos ipsos non pudet.

---

1. Quod pueros decet, viros sæpe dedecet.—Modestia juvenem decet, garrulitas dedecet.—Falsa dicere neminem decet.—Sapientem decet ita vivere ut loquitur.—Judicem decet oculos abstinentes
65 habere.—Oratorem simulare non dedecet.—Pueros obedire oportet.—Si amari velimus, bonos nos esse oportet.—Scire nos oportet, quid Deo, quid cuique homini debeamus.—Medicum ægroto, amicum afflicto, succurrere oportet.

Page

2. Valde me juvat te esse hilari animo.—Ad te brevius scribo, 65
quia me de statu hoc reipublicæ non delectat.—In lege nulla esse ejus modi caput, te non fallit.—De Cæsare fugerat me ad te scribere.—Sed te non præterit quam sit difficile omnibus placere.

---

1. Philosophia nos quum cæteras res omnes, tum, quod est difficillimum docuit, ut nosmet ipsos nosceremus.—Ridiculi sunt qui 66
quod ipsi experti non sint id docent cæteros.—Agrigentini ad Verrem legatos miserunt, qui eum leges doceant, consuetudinemque omnium annorum demonstrent.—Italos primus agri culturam docuit Saturnus.—Consuefeci filium ea ne me celet, quæ alii adolescentes clam patres faciunt.—Sententiam meam tu facile perspicere potuisti, jam ab illo tempore quum in Cumanum mihi obviam venisti; non enim te celavi sermonem Ampii.

---

2. Id me tuis mandatis monuit.—Catilina juventutem, quam illexerat, multis modis mala facinora edocebat.—Commode evenit quod id ipsum quod me mones quatriduo ante ad Cassium scripseram.—Legatus tuus Brundisii mihi præsto fuit, eaque me ex tuis mandatis monuit quæ mihi jam venerant in mentem.—Quum tot signis natura declaret quid velit, anquirat et desideret, obsurdescimus tamen, nescio quomodo, nec ea quæ ab ea monemur audimus.

---

1. Verres parentes pretium pro sepultura liberorum poscebat.— 67
Primum te sententiam tuam rogat.—Si te rogavero aliquid, nonne respondebis?—Nihil Deum roges nisi quod palam rogare possis.—Pusionem quendam interrogat Socrates geometrica quædam.—Legati Ennenses hæc a civibus suis mandata habuere, ut ad Verrem adirent, et eum simulacrum Cereris et Victoriæ reposcerent.—Illud te ad extremum et oro et hortor, ut, tanquam poetæ boni et actores industrii solent, sic tu in conclusione muneris tui diligentissimus sis.—L. Tarquinius duplicavit pristinum patrum numerum, et antiquos patres majorum gentium appellavit, quos priores sententiam 68
rogabat.

---

2. Athenienses auxilium a Lacedæmoniis petiverunt.—Visne, ut te iisdem de rebus Latine interrogem?—Omnia volo a me postules et expectes.—Pythius eum de repetundis postulavit.—Petit hoc a rege multis verbis.—Ita peto hoc a te, ut non possim majore studio.—Quid a te flagitet tu videbis.

Cæsar oppidum diripit atque incendit, prædam militibus donat,

Page

exercitum Ligerim transducit, atque in Biturigum fines pervenit.—Agesilaus Hellespontum copias trajecit, tantaque usus est celeritate, ut triginta diebus iter suum confecerit.—Nonaginta millia peditum, duodecim millia equitum Hannibal Iberum traduxit.—Alexander, quum Hephæstioni, ut fluvium copias trajiciat, mandata dedisset, ad urbem venit, ibique viginti dies permanet.

---

69 Latinæ legiones, longa societate, militiam Romanam edoctæ sunt. —Sub Scipione, per tot annos, omnes militiæ artes edoctus erat juvenis.—Virgo Romana motus gaudet doceri Ionicos.—Lucius Cotta primus sententiam rogatus est.—Nec tantum segetes dives poscebatur humus.—Juvenes Tarentini rationem facti reposcebantur.—Id celabar.—Hæc si tu Metellum cogitare de me nesciveris, debes existimare, te maximis de rebus a fratre celatum esse.

---

70 Socrates totius mundi se incolam et civem arbitrabatur.—Ordo agminis Persarum erat talis: ignis, quem ipsi sacrum et æternum vocant, argenteis altaribus præferebatur; Magi, proximi, patrium carmen canebant.—Augustus per annos amplius quadraginta, eodem cubiculo, hieme et æstate mansit, quamvis parum salubrem valetudini suæ urbem experiretur.—Si quenquam amicum existimas, cui
71 non tantumdem credis quam tibi, vehementer erras.—Antonius fugam suam, quia vivus exierat, victoriam vocabat.—Sapientia certissimam se nobis ducem præbet ad voluptatem.—Moneo ut te erroribus tuorum placabilem præstes.—Marcus Cato, Sapiens, cellam penariam reipublicæ, nutricem plebis Romanæ Siciliam vocavit.

Milites aggerem latum pedes trecentos, altum pedes octoginta exstruxerunt.—Urbs Saguntum longe opulentissima urbium Hispaniæ fuit, sita passus mille ferme a mari.—Persis perpetuis montium jugis ab altero latere clauditur, quod in longitudinem mille sexcenta stadia, in latitudinem centum et septuaginta procurrit.—Zama quinque dierum iter ab Carthagine abest.—Babylon arcem habet ambitu viginti stadia complexam; triginta pedes in terram turrium fundamenta demissa sunt; viginti pedes lati parietes hortos pensiles sustinent.—Arabes gladios habent tenues, longos quaterna cubita.—Ephesiæ Dianæ templum quadringentos pedes longum, et
72 ducentos latum fuisse dicitur.—Tunes ab Carthagine quindecim millia ferme passuum abest.

---

73 1. Homines possunt esse maxime utiles hominibus.—Haud utilem arbitror esse nobis futurarum rerum scientiam.—Ipsa mihi tractatio

Page

literarum salutaris fuit.—Miltiades amicior omnium libertati, quam suæ dominationi erat.—Lacedæmonii id potius intuebantur, quod ipsorum dominationi, quam quod universæ Græciæ utile esset.—Non video cur filius non patri similis esse potuisset.—Id amisisti, 74
cui simile in terris nihil fuit.

---

2. Honorum gradus summis hominibus et infimis sunt pares; gloriæ dispares.—Antonius scelere par est Catilinæ.—Beneficentia ac liberalitate nihil est naturæ hominis accommodatius.—Cynicorum ratio est inimica verecundiæ, sine qua nihil rectum esse potest, nihil honestum.—Ejus mors consentanea vitæ fuit, sanctissime honestissimeque actæ.—Quintus Catulus dixit, esse quidem præclarum virum Cneium Pompeium, sed nimium jam liberæ reipublicæ.—Non minus principi turpia sunt multa supplicia, quam medico multa funera.

---

3. Bellum Jugurthinum gestum est per Quintum Metellum, nulli secundum sæculi sui.—Verba innocenti reperire facile est; modum verbis misero tenere difficile.—Gravis senioribus inveterati moris est mutatio.—Plerique sua sibi propiora pericula quam aliorum esse dicunt.—Ratio proprium hominis bonum est; cætera illi cum animalibus communia sunt.—Iis, qui vendunt, emunt, conducunt, locant, justitia ad rem gerendam necessaria est.—Quod decet, id aptum est et tempori et personæ.

Utrum te horum alicujus qui marmoreis tectis, ebore et auro ful- 75
gentibus, qui signis, qui tabulis, qui cælato auro et argento, abundant, an Caii Fabricii, qui nihil eorum habuit, similem esse mavis? —Par est primum ipsum esse virum bonum, tum alterum similem sui quærere.—In omni disputatione, quid esset simillimum veri quæreremus.—Nec vero intelligo cur maluerit Epicurus deos hominum similes dicere, quam homines deorum.—Cur semper tui dissimiles defendis?—Cur non iis faves, quos laudas, quorum similem filium tuum esse vis?

Hic tibi est potius, quam tu mirabilis illi.—Restat Chremes, qui 76
mihi exorandus est.—Multa fert pauper, diviti non patienda.—Morti ille occubuit, nulli flebilior quam tibi.—Mihi nihil neque ad honorem neque ad gloriam acquirendum puto.—Eorum omnium accusabilis est tibi turpitudo.—Mihi nihil amabilius officio tuo.—Hoc ego oratori maxime cavendum et providendum puto.—Res eæ, etsi nobis optabiles in experiendo non erant, in legendo tamen erunt jucundæ.

Page

77 1. Nicanor tuus operam mihi dat egregiam.—Onerum meorum partem nemini impertio, gloriæ bonis omnibus.—Omnes libros, quos frater reliquit, mihi Pætus donavit.—Homines ad deos nulla re propius accedunt quam salutem hominibus dando.—De pueris quid agam? parvone navigio duro tempore anni committam?—Puer tuus mihi literas abs te et commentarium consulatus mei Græce scriptum reddidit.—Cæsaris literarum exemplum tibi misi.—Laudationem Porciæ tibi misi correctam.

---

2. Mithradates pollicitus est regi se Datamen interfecturum si ei rex permitteret ut quodcunque vellet liceret facere.—Pontifex maximus res omnes singulorum annorum mandabat litteris.—Clisthenes Junoni Samiæ filiarum dotes credidit.—Dionysius tyrannus aureum Jovi Olympio detraxit amiculum, eique laneum pallium injecit.—Quid est Sicilia, si ei agri cultionem sustuleris?—Horum virtuti, generi, rebus gestis fidem et auctoritatem derogavit.

---

78 1. Non resistet iræ, cui nihil unquam negatum sit.—Hoc in vulgus jactabant Carthaginienses, haudquaquam ipsi ignari quantum sibi virium Carthagine amissa decessisset.—Natura constitutum est, ut non liceat sui commodi causa nocere alteri.—Quamdiu mihi, consuli designato, insidiatus es, non publico me præsidio sed privata diligentia defendi.—Philosophiæ servias oportet.

---

2. Clades Atheniensium non hostium virtute sed ipsorum immodestia accidit, quod, non obedientes imperatoribus suis, dispalati sunt in agris.—Veluti pecora, quæ natura ventri obedientia finxit.—Vir moderatus et sapiens parebit præcepto illi veteri, neque lætabitur unquam neque mœrebit nimis.—Cæsar decem obsides hostibus imperavit.—Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi idem metes.—Iratus quum ad se redeat, sibi tum irascitur.—Dies stultis quoque mederi
79 solet.—Venus nupsit Vulcano.—Vir bonus nunquam fortunæ maledixit.—Mors nulli homini parcit.—Intellexit Cæsar, omnes homines libertati favere.

Non tam fuit hominum generi infensa atque inimica natura, ut corporibus tot res salutares, animis nullam invenerit.—Non sum uni angulo natus; patria mea totus est hic mundus.—Non solum nobis divites esse volumus, sed liberis, propinquis, amicis, maximeque reipublicæ.—Multi quum opes parant, cui parent nesciunt, nec cujus causa laborent.—Audiat puer verum; timeat interim; vereatur semper; majoribus assurgat.—Nimia libertas et populis

et privatis in nimiam servitutem cadit.—Qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat sed gloriæ.

---

1. Non libet mihi deplorare vitam, quod multi, et ii docti, fece- 80
runt.—Si tibi id minus libebit, non urgebo.—Vel, quod mihi maxime libet, ad nostra studia me referam.—Licet nemini peccare.—Gygis annulum si habeat sapiens, nihilo plus sibi licere putet peccare, quam si non habeat.—Mihi liceat ejus urbis, quam conservavi, conspectu tranquillo animo et quieto frui.—Licet nemini contra patriam exercitum ducere.—Neque enim quod quisque potest, id ei licet; nec si non obstatur, propterea etiam permittitur.

---

2. Id de quo Panætio non liquet reliquis ejusdem disciplinæ solis luce videtur clarius.—Hoc rectene an perperam fecerim, nondum mihi plane liquet.—Omnibus bonis civibus expedit, salvam esse
rempublicam.—Idem expedit et emptori et venditori.—Nec mihi, 81
nec fratri meo, nec cuiquam amicorum placuit committere, ut temeritas nostra non solum nobis, sed etiam reipublicæ noceret.—Mihi fratrique meo, Cæsaris candidatis, contigit prætoribus destinari.

---

1. Peccat poeta, quum probam orationem affingit improbo, stultove sapientis.—Quis potest ignotos notis, impios religiosis anteferre?—Non convenit viro bono, famam bonam alicui invidere.—Liberalis est qui quod alteri donat sibi detrahit.—Cæsar Deiotaro tetrarchiam eripuit, et asseclæ suo Pergameno nescio-cui dedit.—Altius præcepta descendunt quæ teneris imprimuntur ætatibus.—Proprium est irati
cupere, a quo læsus videatur ei quam maximum dolorem inurere.— 82
Nasus ita locatus est, ut quasi murus oculis interjectus esse videatur.

---

2. Vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt.—Alexander, dum obequitabat mœnibus, sagitta ictus est; cepit tamen oppidum, et omnibus incolis ejus trucidatis etiam in tecta sævitum est.—Manlius posthabuit filii caritatem publicæ utilitati.—Agesilaus opulentissimo regno præposuit bonam existimationem.—Vulcanus Lemni fabricæ præfuisse traditur.—Anatum ova gallinis sæpe supponimus, e quibus pulli orti primum aluntur ab iis, ut a matribus.—Munientibus supervenit hostibus Marcellus, ab Agrigento rediens.

Oppidani centuriones tribunosque militares inter epulas obtruncant; postea milites palantes, inermes, aggrediuntur.—Conon, barbaros apud Cnidum adortus, magno prælio fugat, multas naves capit, complures deprimit.—Non diffidebant Romani, vastam disjectamque

Page
83 spatio urbem Syracusas parte aliqua se invasuros esse.—Liris fluvius, divisus æqualiter in duas partes, latera insulæ alluit.—Pinna cum squilla quasi societatem coit comparandi cibi.—Ajax, quo animo traditur, millies oppetere mortem quam illas perpeti contumelias maluisset, quas Ulysses a servis ancillisque pertulit.—Cur eorum odium subeam non intelligo.

---

84 Timotheus ad bellicam laudem doctrinæ gloriam adjecit.—Macedones ad imperium Græciæ, brevi tempore, adjunxerunt Asiam.—Confer nostram longissimam vitam cum æternitate, prope in ea brevitate reperiemur qua bestiolæ quæ unum tantum diem vivunt.—Multæ res sunt in quibus viri boni multum de suis commodis detrahunt.—Eripe nos ex miseriis; eripe nos ex faucibus eorum quorum crudelitas nostro sanguine non potest expleri.—In oratore perfecto inest philosophiæ scientiæ; in philosophiæ cognitione non continuo inest eloquentia.—Mulier in India una cum viro in rogum imponitur.

Vespasianus uxori et filiæ superstes erat.—Initium suspicionis mihi fuerunt literæ tuæ, quibus literis congruentes fuerunt aliæ multorum.—Sed tamen aptum erat bibliothecæ, studiisque nostris
85 congruens.—Omnium mentes improborum mihi uni maxime sunt adversæ.—Ego misi Tironem Dolabellæ obviam; is ad me Idibus revertetur.—Tu interea Romæ scilicet amicis præsto eras.—Togulæ lictoribus ad portam præsto erant.—Non quæro quid dicit, sed quid convenienter rationi potest et sententiæ suæ dicere.

Manus longæ sunt regibus.—Dum ægroto anima est spes est.—Sensus agiliores sunt multis animalibus quam homini.—Homini cum Deo similitudo est.—Animo cum hac carne gravi certamen est.—Crocodilis superior pars corporis dura et impenetrabilis est, inferior
86 mollis ac tenera.—Nulla potest esse voluptati cum honestate conjunctio.—Omnium societatum nulla est gravior, quam ea quæ cum republica est unicuique nostrum.—Etiamsi mihi, ut tu putas, ad hoc opus ingenium non defuit, doctrina certe et otium defuit.—Non quidquam minus Dario quam multitudo militum defuit.

Causa Abdolonymo paupertatis erat probitas.—Signo pugnæ dato, ferocissimo militi paululum genua tremuerunt, et maximo imperatori cor exsiluit.—Uticensibus in Carthaginiensi populo, Carthaginiensibus in Hasdrubale, spes omnis erat.—His miraculis nunquam a Scipione ipso elusa fides est; quin potius aucta, arte quadam nec abnuendi tale quidquam nec adfirmandi.

Page

1. Literæ subsidio oblivioni sunt.—Magno malo homini est avaritia.—Curæ est sua cuique voluptas.—Omnibus est odio crudelitas, et amori clementia et pietas.—Nihil est, quod tibi majori fructui et majori gloriæ esse potest quam bene mereri de quam plurimis.—Pergite, ut facitis, adolescentes, ut vobis honori, et amicis utilitati, et reipublicæ emolumento esse possitis. 87

---

2. Alexander, quum longam obsidionem magno sibi impedimento videret fore, caduceatores ad Tyrios misit.—Mihi non minori curæ est, qualis respublica post mortem meam futura sit quam qualis hodie sit.—Quinto Hortensio tribuebatur ignaviæ quod nunquam bello civili interfuisset.—Caius Cæsar, pro prætore, Galliæ provinciæ cum exercitu subsidio profectus est, et difficillimo reipublicæ tempore, saluti dignitatique populi Romani subvenit.—Medea matronis Corinthiis persuasit ne sibi vitio verterent quod abesset a patria. 88

---

3. Lacedæmoniis crimini dabatur quod arcem occupavissent.—Attalus regnum suum Romanis dono dedit.—Sibi ludibrio habere videtur.—Quoniam tu me tibi despicatui habes.—Nunc ea reprehendis quæ antea gloriæ mihi ducebas.—Hoc non modo non laudi, verum etiam vitio nobis dandum est.

---

1. Felix est quem faciunt aliena pericula cautum.—Difficilis est 89
cura rerum alienarum.—Æs alienum habet.—Dolet Menelaus, externo læsus amore.—Plerumque regiæ voluntates, uti vehementes,
sic mobiles, sæpe ipsæ sibi adversæ.—Regios interitus miraculo 90
remigis casus æquat.—Paucis diebus in domum paternam immigrabit filius.—Verna ministeriis ad nutum aptus herilem.—Qualis erit annus quem mons Evandrius offert Romanis avibus.

---

2. Clodius dixit, Appium in prima provincia velle esse, ut quam primum decederet.—Lusciniæ pariunt vere primo cum plurimum sena ova.—Tarentinis, qui in ultima Italia sunt, bellum indictum est.—Byzantium in extrema Europa posuerunt Græci.—Conon extremo Peloponnesiaco prætor erat.—Mento summo aquam attingit Tantalus.—Hannibal amphoras complures complet plumbo, summas operit auro et argento.—Summus mons a Tito Labieno tenebatur. —Antistius abdidit se in intimam Macedoniam.—Persuadere conantur mathematici terram in medio mundo esse sitam.—Tantum bellum Pompeius extrema hieme apparavit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit.—Cameli bisulcus est pes inferus.

Page

92 1. Seneca erat vir excellentis ingenii et doctrinæ.—Pythagoras erat vir nullius hilaritatis.—Parvula magni formica laboris ore trahit quodcunque potest, atque addit acervo.—Perspicuum est, esse numen aliquod præstantissimæ mentis, quo omnia reguntur.—Athenienses belli duos duces delegerunt: Periclem, spectatæ virtutis virum, et Sophoclem scriptorem tragœdiarum.—Datames Thyum, hominem maximi corporis, postero die, ad regem duxit.—Patienter Persæ, post tot annorum imperium, jugum servitutis acceperunt.—Si vicinus tuus vestem pretii majoris habeat quam tu habes, tuamne an illius malis?—Mare Caspium, dulcius cæteris, ingentis magnitudinis serpentes alit, piscesque longe diversi ab aliis coloris.

---

2. Videmus nubes aliquando ignei coloris; videmus ortu solis partem quandam cœli rubere.—Cæsar castra vallo muniri vetuit, sed a fronte contra hostem pedum quindecim fossam fieri jussit.—Vir bonus summæ est erga deos pietatis.—Annum ad cursum solis
93 Cæsar accommodavit, ut trecentorum sexaginta quinque dierum esset.—Non est tantarum virium virtus ut subjecta sub varios incertosque casus se ipsa tueatur.—Marathus, Augusti libertus, staturam ejus quinque pedum et dodrantis fuisse scribit.—Erat in exercitu Romano Lucius Marcius, juvenis, animi et ingenii aliquanto quam pro fortuna in qua erat natus majoris.

---

1. Vulgus est ingenio mobili.—Themistocles erat tanta memoria, ut omnium civium nomina perciperet; Cato vero multo meliore memoria.—Qui se omnibus anteponant intolerabili arrogantia sunt.—Hoc videre licet, eos, qui antea commodis moribus erant, prosperis rebus immutatos.—Quanta innocentia debent esse imperatores; quanta temperantia; quanta peritia; quanto ingenio!—Apud Romanos mercenarii scribæ existimabantur, at apud Græcos, nemo ad id officium admittebatur, nisi honesto loco, et industria ac fide cognita.

---

2. In omnibus rebus Cato singulari fuit prudentia et industria.—Certior fiebat Augustus, qua ætate, qua statura, esset quicunque filiam ejus Juliam adiret.—Cæsar ad Ariovistum Valerium misit,
94 summa virtute et humanitate adolescentem.—Fuisse traditur Cæsar excelsa statura, colore candido, nigris oculis, valetudine prospera.—Bona valetudo jucundior est eis, qui e gravi morbo recreati sunt, quam qui nunquam ægro corpore fuerunt.—Memoria ita erat nulla Curio, ut aliquoties, quum tria capita proposuisset in dicendo, quartum adderet.

Page

1. Gallorum omnium fortissimi erant Belgæ.—Alexander seniores militum in patriam remisit. Beneficiorum maxima sunt, quæ a parentibus accipimus.—Elephanto belluarum nulla est prudentior.— 95
Tribuni legem promulgaverunt, ut consulum alter ex plebe crearetur.—Incertum est, quam longa nostrum cujusque vita futura sit.—Insecta quædam binas gerunt pennas, ut muscæ; quædam quaternas, ut apes.—Erant Phocionis tempore Athenis duæ factiones, quarum una populi causam agebat, altera optimatum.

---

2. Omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nulla est agricultura melior.—Dextra, lævaque Darium ducenti ferme nobilissimi propinquorum comitabantur.—Sola medicina artium Græcarum a Romana gravitate non exercetur.—Animantium aliæ coriis tectæ sunt, aliæ villis vestitæ, aliæ spinis hirsutæ; pluma alias, alias squama videmus obductas.—Omnium societatum nulla præstantior est, nulla firmior, quam quum viri boni moribus similes sunt familiaritate conjuncti.

---

3. Duo sunt aditus in Ciliciam ex Syria, quorum uterque parvis præsidiis propter angustias præcludi potest.—Res Romana adeo fuit valida, ut cuilibet finitimarum civitatum bello par esset.—Urbs Syracusæ maxima est pulcherrimaque omnium Græcarum urbium.
—Excellentissimi Persarum reges fuerunt Cyrus et Darius Hystas- 96
pis filius; prior horum apud Massagetas in prælio cecidit.

---

1. Quantum hominum unus venter exercet!—Plurimum mali cre- 97
dulitas facit.—Tibi idem consilii do, quod mihimet ipsi.—Quis nescit primam esse historiæ legem, ne quid falsi dicere audeat?—Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum fuit in meis delubris, id Verres abstulit.—Quum Pythagoras in geometria quiddam novi invenisset, Musis bovem immolavisse dicitur.—Coloni aliquantum
vasculorum, antiqui operis, repererunt.—Angusta, sicut ante dic- 98
tum, vallis non capiebat omnes copias; duæ ferme peditum partes; omnis equitatus in aciem descendit; quod reliquum peditum erat, obliquo constiterat colle.

---

2. Oculos habuit Augustus claros ac nitidos, quibus etiam existimari volebat inesse quiddam divini vigoris.—Hæreditatis spe quid iniquitatis in serviendo non suscipitur?—Habent togatæ nostræ (fabulæ) aliquid severitatis, et sunt inter comœdiam et tragœdiam mediæ.—An potest quidquam esse absurdius quam quo minus viæ restat, eo plus viatici quærere?—Crassus, in summa comitate, ha-

Page

bebat etiam multum severitatis.—Ut adolescentem in quo senile aliquid, sic senem in quo est adolescentis aliquid probamus.

---

99 1. Te interea loci cognovi.—Postea loci consul in oppidum Cirtam pervenit.—Inde loci mortalia corda creavit.—Faciam, ut adhuc loci feci.—Civitas Hannibalem, tum temporis consulem, in foro expectabat.—Persarum gens tunc temporis obscura fuit.—Postridie ejus diei Ariovistus præter castra Cæsaris copias suas transduxit.—Pridie ejus diei legatos ad Cæsarem miserat.—Hoc pridie Calendarum Augustarum accidit.—Pridie insidiarum cum Antonio Natali multa colloquebatur.

---

2. Ubinam gentium sumus?—Ubicunque terrarum et gentium jus civium violatum sit, id pertinet ad communem causam libertatis.—Qui virtutem adeptus fuerit, ubicunque erit gentium, a me dil-
100 igetur.—Rhodum aut aliquo terrarum migrandum est.—Non, Hercle, quo nunc gentium aufugiam, scio.—Gallorum legati dixerunt, sese tacitos abire, quo terræ possent, in animo habere.—Poeta quærit quod nusquam est gentium.

---

3. Sat habet fautorum semper, qui recte facit.—Cimon habebat satis eloquentiæ.—Cæsar dixit, se potentiæ gloriæque abunde adeptum esse.—Cyrus vini affatim et eorum, quæ epulis sunt necessaria, reliquit.—Affatim est hominum, quibus nihil negotii est.—Multis in locis parum firmamenti, et parum virium veritas habet.—Parumne miseriæ Roscio quod prædia sua aliis, non sibi, coluerit?—Catilinæ erat satis loquentiæ, sapientiæ parum.—Quia parum dignitatis fuit in legatione, negavistis pacem.

---

101 1. Semper fragilitatis humanæ sis memor.—Mens criminis conscia tranquilla esse non potest.—Inter veteres belli duces Cæsar
102 rei militaris peritissimus fuit.—Ira, ut insania, impotens sui est.—Solus homo ex tot animantium generibus rationis et orationis est particeps.—Bestiæ rationis et orationis sunt expertes.—Homo natura est cupidus nova videndi et audiendi.—Non semper veritatis satis amantes sumus.—Germania frugum et vini fertilissima est.—Omnes immemorem beneficii oderunt.—Themistocles peritos belli navalis fecit Athenienses.—Animus futuri anxius calamitosus est.

---

2. Hoc nos docebit tempus rerum edax.—Sis justus et tenax propositi.—Ipsa sibi virtus pretium est, nil indiga laudis, nil opis externæ cupida.—Natura tenacissimi sumus eorum quæ rudibus annis

Page

percipimus.—Pharos insula magnæ urbis haud capax est.—Cicero dolebat quod Hortensium, consortem gloriosi laboris, morte amiserat.—Gallia adeo frugum hominumque fertilis fuit, ut abundans multitudo vix regi posse videretur.—Non adeo virtutis sterile sæculum nostrum ut non et bona exempla prodiderit.

---

3. Adeo erat Epaminondas veritatis diligens, ut ne joco quidem mentiretur.—Darius veritatis impatiens, hospitem ac supplicem, abstrahi jussit ad capitale supplicium.—Maroboduus non securam in- **103**
crementi sui patiebatur esse Italiam.—Quo maturius victoriæ compotes fierent, Romani id cogitabant, quæ ratio transportandæ Romam deæ Pessinuntiæ esset.—Pompeius pæne omnium vitiorum expers erat, nisi numeraretur inter maxima, in civitate libera indignari quenquam æqualem in dignitate conspicere.—Thales, qui sapientissimus in septem fuit, homines existimare dixit oportere, omnia quæ cernantur plena esse Dei.

---

1. Improbus vir cum dolore flagitiorum suorum aliquando recordabitur.—Dulce est meminisse laborum actorum.—Ipse jubet mortis **104**
te meminisse Deus.—Homo, qui in homine calamitoso est misericors, meminit sui.—Helvetiorum dux Cæsarem hortatus est, ut reminisceretur et veteris incommodi populi Romani, et pristinæ virtutis Helvetiorum.—Vivorum memini, nec tamen Epicuri licet oblivisci.

---

2. Cohortatus est Cæsar Æduos, ut controversiarum ac dissensionum obliviscerentur.—Jubes me bona cogitare, oblivisci malorum.—Nec oblitus sum literarum tuarum, quas ad me misisti.—Oblitum me esse putas consilii, sermonis, humanitatis tuæ?—Proprium est stultitiæ aliorum vitia cernere, oblivisci suorum.—Si defensioni Gabinii fidem non habeas, obliviscerisne etiam accusationis tuæ?—Pisonis me hic annulus commonet.—Admonebat alium egestatis, alium cupiditatis suæ.—Milites beneficiorum suorum commonefecit.—Tunc contractos in Principia, jussosque dicta cum silentio accipere, temporis ac necessitatis monuit.

Illud semper memento; qui ipse sibi sapiens prodesse nequeat ne-
quicquam sapit.—Non omnes possunt esse Scipiones aut Fabii, ut **105**
urbium expugnationes, ut pedestres navalesque pugnas, ut triumphos recordentur.—Curio subito totam causam oblitus est, idque veneficiis et cantionibus Titiniæ factum esse dixit.—Beneficia meminisse debet is, in quem collata sint, non commemorare, qui

Page

contulerit.—Cæsar nil nisi injurias oblivisci solet.—Sermonem in multam noctem produximus, cum senex nihil nisi de Africano loqueretur, omniaque ejus non facta solum sed etiam dicta meminisset.

---

106 1. Hephæstionem Alexander plurimi faciebat.—Virtus maximi æstimanda est.—Multi sua parvi pendere, aliena cupere solent.—Divitiæ a me minimi putantur.—Magis illa juvant, quæ pluris emuntur.—Considerate agere pluris est quam cogitare prudenter.—Quanti quanti bene emitur quod necesse est.—Res nulla minoris constabit patri quam filius.—Non unquam reputant quanti sibi gaudia constant.—Sapiens voluptatem minimi facit.

---

2. Romani Transalpinas gentes oleam et vitem serere non sine-
107 bant, quo pluris essent Italiæ oliveta vineæque.—Ex Africa discedens Cato, Ennium poetam deduxit secum, quod non minoris æstimo quam quemlibet Sardiniensem triumphum.—Quum percunctaretur Theophrastus ex anicula quadam quanti aliquid venderet, et respondisset illa, atque addidisset, "Hospes non possum minoris," moleste tulit, se non effugisse hospitis speciem, quum ætatem ageret Athenis, optimeque loqueretur.

---

3. Tanti esse exercitum quanti imperatorem vere proditum est. —Emit Canius, homo cupidus et locuples, tanti hortos quanti Pythius voluit, invitatque postridie amicos suos.—Pluris putare quod utile videatur, quam quod honestum, turpissimum est.—Nunc quum pretium prædii noverim, licitatorem potius apponam, quam illud minoris veneat. — Video si ire in exilium animum induxerit, quanta tempestas invidiæ mihi impendeat: sed est mihi tanti dummodo ista privata sit calamitas.—Epicurus dolorem nihili facit; ait enim se, si uratur, "Quam suave hoc!" dicturum. — Nunc si quis tanti habitet quanti abhince annos CL Lepidus Æmilius augur, vix ut se-
108 nator agnoscitur.—Ego, quod tu loqueris, flocci non facio.—Non æstimo te unius assis.

---

1. Fannius Verrem insimulavit avaritiæ et audaciæ.—Nonne intelligis quales viros mortuos sceleris summi arguas?—Thrasybulus legem tulit, ne quis anteactarum rerum accusaretur.—Quidam, si
109 in luctu hilarius locuti sint, peccati se insimulant quod dolere intermiserint.—Recte condemnamus haruspices aut stultitiæ aut vanitatis.—Socratis responso sic judices exarserunt, ut impietatis optimum virum condemnarent.

Page

2. Cælius judex absolvit injuriarum eum, qui Lucilium poetam in scena nominatim læserat.—In eum locum te deduxisti ut antequam me commutati judicii coargueris, te summæ negligentiæ, tuo judicio, convictum esse fatearis.—Apuleiam Variliam, sororis Augusti neptem, majestatis delator arcessebat.—Cæsar Cornelium Dolabellam, consularem et triumphalem virum, repetundarum postulavit.—Hæc duo levitatis et infirmitatis plerosque convincunt, aut si in bonis rebus contemnant amicos, aut in malis deserant.—Qui furti et pecuniarum captarum accusati sunt, ii non modo in senatum redierunt, sed etiam illarum ipsarum rerum judiciis absoluti.

---

1. Impendentes in rebus publicis commutationes prospicere magni **110**
civis et divini pæne est viri.—Non suæ esse virtutis, dixit Hamil- **111**
car, arma, a patria accepta adversus hostes, adversariis tradere.—Quod facere non possis id aut jucunde promittas, aut ingenue neges, quorum alterum est boni viri, alterum boni petitoris.—Statuere qui sit sapiens vel maxime videtur esse sapientis.—Augusti supellectilis parsimonia apparet, etiam nunc residuis lectis atque mensis, quorum pleraque vix privatæ elegantiæ sunt.

---

2. Condita ab Agenore Tyrus, mare non vicinum modo sed quodcumque classes ejus adierunt ditionis suæ fecit.—Longum esset, nec instituti operis, disserere, quisnam Romanorum primus coronam acceperit.—Ira ob alienum peccatum angusti pectoris est: nec unquam committet virtus ut vitia dum compescit imitetur.—Præsidibus, onerandas tributo provincias suadentibus, rescripsit Tiberius, "Boni pastoris est tondere oves non deglubere."—Omnia quæ mulieris fuerunt viri fiunt dotis nomine.

---

1. Civium refert legibus obtemperare.—Vehementissime interest **112**
reipublicæ, ut omnes consulerent paci et concordiæ.—Multum inter- **113**
est utilitatis communis, juventutem probe institui.—Permagni nostra interest, te esse Romæ.—Interest rerum familiarium tuarum, te quam primum venire.—Cupio excurrere in Græciam; magni interest Ciceronis me intervenire discenti.—Quum Rex Lysimachus Theodoro crucem minaretur, "Theodori quidem nihil interest, inquit, humine an sublime putrescat."

---

2. Plus interest reipublicæ castellum capi Ligurum, quam bene defendi causam M. Curii.—Ostendam quantum salutis communis intersit, duos consules in republica esse.—Epistolis certiores facimus absentes, si quid sit quod scire aut nostra aut ipsorum intersit.

Page

—Vestra, judices, hoc maxime interest, non ex simultate aut levitate testium causas honestorum hominum ponderari.—Magni interest quos quisque audiat quotidie domi, quemadmodum patres, pædagogi, matres etiam loquantur.—Auri navem evertat gubernator an paleæ, in re aliquantulum, in gubernatoris inscientia nihil interest. —Alexander nequaquam diu luctatus cum nodis, "Nihil," inquit,
114 "interest quomodo solvatur," gladioque rupit lora.

---

1. Ab Ægyptiis quædam animalia deorum instar colebantur.—Quidam canes venandi gratia comparantur. — Sophistæ appellabantur ii, qui ostentationis aut quæstus causa philosophabantur.—Non licet sui commodi causa nocere alteri.—Deus animantia hominum causa fecit; ut equum vehendi causa; arandi bovem; venandi et custodiendi canem.—Animalia non sua sed nostra causa facta sunt.

---

2. Demosthenes corona aurea donatus est virtutis ergo benevolentiæque erga populum Atheniensem.—"Non mea causa," inquit
115 bonus princeps, "adsunt cives, sed ego civium causa."—Fac eadem amicorum causa quæ tua causa facere soles.—Unus ille dies Ciceroni immortalitatis instar fuit, quo in patriam rediit.—Pausanias, post victoriam Platæensem, ex præda tripoda aureum Delphis posuit, epigrammate scripto, "Pausanias barbaros apud Platæas delevit, ejusque victoriæ ergo Apollini donum dedit."

Sol luce sua omnia collustrat.—Dente lupus, cornibus taurus petit.—Sapiens solet usum pecuniæ non magnitudine sed ratione metiri.—Hoste victo, rex Romanus, ruptorem fœderis, Mettium Fuffe-
116 tium pernicibus equis distraxit.—Timendum est ne quod piaculum commiserunt, non suo solum sanguine, sed etiam publica clade luant.—Pharos e turri nocturnis ignibus cursum navium regit.—Timanthes, quum Cyclopis dormientis magnitudinem exprimere cuperet, pinxit juxta satyros, thyrso pollicem ejus metientes.—Discordia res maximæ dilabuntur.

---

117 1. Populus Romanus a Servio Tullio relatus in censum, digestus in classes, curiis atque collegiis distributus, summaque regis diligentia ordinata est respublica.—Augustus Pyladen urbe atque Italia submovit, quod spectatorem, a quo exsibilatus est, demonstraverat digito, conspicuumque fecerat.—Alexander Babylone morbo consumtus est; Philippus a Pausania, quum spectatum iret ludos, juxta theatrum occisus est.—Rex Parthorum, Neronis fama territus, liberos suos ad Cæsarem misit obsides.

2. Nullius agricolæ cultu stirps tam diuturna, quam poetæ versu seminari potest.—Ad interficiendum Marium gladio missus est servus publicus, qui ab eo imperatore bello Cimbrico captus erat.—Calentibus ingeniis subtrahas vinum, ne ignis, ut ait Plato, igne incitetur.—Cæsus est virgis Athenagoras, qui in fame frumentum exportare erat ausus.—Expectatio muneris et rumore et sermonibus competitorum creverat.—Interrogatus Fabricius, cur Rufinum, malum civem sed utilem ducem, imminente bello, consulem suffragio suo fecisset, "A cive se spoliari malle," respondit, "quam ab hoste venire."

Extat ad trepidum tanto discrimine gubernatorem vox Cæsaris, **118**
"Quid times? Cæsarem vehis."—Agmen Macedonum et stare paratum et sequi, non sarcinis prægrave, intentum ad ducis non signum modo sed etiam nutum.—Inde Sidona Alexander venit, urbem vetustate famaque conditorum inclytam.—Homines ægri morbo gravi, quum æstu febrique jactantur, si aquam gelidam biberint, primo relevari videntur.—Quod cuique temporis ad vivendum detur, eo contentus esse debet.—Epicurus confirmat deos membris humanis esse præditos.

Mortuo Marcio cunctis populi suffragiis rex creatus est L. Tar- **119**
quinius.—Lixa quondam juxta cubiculum Augusti deprehensus est, cultro venatoris cinctus.—Betis non interrito modo, sed contumaci quoque vultu, intuens Alexandrum, nullam ad minas ejus reddidit vocem.—Platoni Dionysius vittatam navem misit obviam, ipse quadriga alba egredientem in littore excepit.—Fons Marsyæ fluminis, ex summo montis cacumine excurrens, in subjectam rupem magno strepitu aquarum cadit; inde diffusus circumjectos rigat campos.—Regis barbarorum uxor, memorabili exemplo, custodiam evasit, revulsumque centurionis caput ad maritum suum retulit.

Cum pallio crepidisque inambulabat Romanus imperator in gymnasio, palæstræque operam dabat.—Frumenti vim ingentem, quod
ex Africa P. Scipio miserat, ædiles, cum summa fide et gratia di- **120**
viserunt.—Arma atque tela militaria Romani ab Samnitibus, insignia magistratuum a Tuscis pleraque sumserunt; quodque apud socios aut hostes idoneum videbatur, cum summo studio domi exsequebantur.

Isocrates, quum videret oratores cum severitate audiri, poetas autem cum voluptate, numeros dicitur secutus esse, quibus etiam

Page

in oratione uteremur.—Romani legatos ad consules miserunt, qui nuntiarent, ut reliquias duorum exercituum cum cura colligerent. —Ita natura comparatum est, ut ea quæ scripsimus cum labore, cum labore etiam audiri putemus. — Tuæ literæ cum fide diligentiaque sunt scriptæ.—Quis diceret melius esse turpiter aliquid facere cum voluptate, quam honeste cum dolore? — Cum ira nihil recte fieri potest.—Quæ cum perturbatione fiant, ea neque recte fieri possunt, nec ab his qui adsunt approbari.

---

122 1. C. Gracchus grandis erat verbis, sapiens sententiis, genere toto gravis.—Apes sylvestres horridæ sunt aspectu, multo iracundiores, sed labore præstantes.—Pamphilus erat Macedo natione, et primus in pictura omnibus literis eruditus, præcipue arithmetice et geometrice, sine quibus negabat artem perfici posse.—Augustus, quum apud unum veteranorum Bononiæ cœnaret, interrogavit eum, essetne verum, eum qui primus Anaïtidis statuam violasset, oculis membrisque captum expirasse? Respondit, tum maxime Augustum de crure ejus cœnare.

---

2. Infantiam suam sub regibus septem habuit res Romana, tam variis ingenio ut reipublicæ utilitas postulabat.—Metelli legatus fuit C. Marius, natus equestri loco, vita sanctus, bello optimus, pace pessimus.—Lacedæmonius Agesilaus nomine, non potestate, fuit rex, sicuti cæteri Spartani.—Socrates, omnium eruditorum testimonio, totiusque judicio Græciæ, philosophorum omnium fuit princeps. — Benevolentiam non adolescentium more, ardore quodam amoris, sed stabilitate potius et constantia judicare debemus.—Ab
123 iis, qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt, longe dissentimus.—Nihil turpius est quam grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum quo se probet diu vixisse, præter ætatem.—Ennius fuit major natu quam Plautus et Nævius.

---

1. Abundarunt semper auro regna Asiæ. — Bias, interrogatus, quænam res in vita metu careret, "Bona conscientia," respondit.— Metallis plumbi, ferri, æris, argenti, et auri, tota ferme Hispania
124 scatet.—Nemo unquam tam potens fuit ut nullius auxilio egeret.— Vacare culpa magnum est solatium.—Pecunia non satiat avaritiam, sed irritat; homo semper indiget pecunia.

---

2. Deus bonis omnibus explevit mundum.—Senectus non caret voluptatibus.—Democritus dicitur oculis se privavisse.—Nihil est præstabilius viro, quam periculis patriam liberare.—Pericles florebat

Page

omni genere virtutis.—Romulus locum urbi suæ delegit, et fontibus abundantem, et in regione pestilenti salubrem.—Posuit eam amnis in mare influentis in ripa, quo posset et accipere ex mari quibus egeret, et reddere quibus redundaret.

---

3. Muta animalia humanis affectibus carent, habent autem similes illis quosdam impulsus.—Quid faciet is homo, qui nihil timeat nisi testem et judicem, in deserto loco, nactus quem multo auro spoliare possit?—Pinxit Apelles Antigoni regis imaginem altero oculo orbam, obliquamque fecit, ut, quod corpori deerat, picturæ potius deesse videretur.—Minturnenses Marium, instructum viatico, conlataque veste, in navem imposuerunt.

---

4. Pleminius tribunos interfecit, nec satiatus vivorum poena insepultos projecit.—Nulla vitæ pars vacare officio potest.—Nunquam **125**
animus cogitatione et motu carere potest.—Omnibus humanis vitiis immunis Cato semper fortunam in sua potestate habuit.—Morte carent animæ, et carmina morte carent.

---

1. Serus, in annonæ caritate, asse modium populo dedit.—Chrysogonus vas aliquod Corinthium tanto pretio mercatus est, ut, qui **126**
pretium enumerari audiebant, fundum venire arbitrarentur.—Scio sestertiis sex, lusciniam candidam (quod est prope inusitatum), venisse.—Spem pretio non emam.—Magno ubique pretio virtus æstimatur.—Plurimus auro venit honos.

---

2. Nulla res carius constat quam quod precibus emitur.—Sperne voluptates: nocet emta dolore voluptas.—Egregie Plato dicit, nimia esse quæ homines emunt vita.—Eriphyle auro viri vitam vendidit.—Lycurgus emi omnia non pecunia, sed compensatione mercium jussit.—Multo plerumque sanguine constat victoria.

---

3. Ex parte Alexandri quatuor et quingenti saucii fuerunt; triginta omnino et duo ex peditibus desiderati sunt; equitum centum quinquaginta interfecti; tantulo impendio ingens victoria stetit.—Tusculanam villam quingentis millibus (sestertiorum); Formianum (fundum) sestertiorum ducentis quinquaginta millibus, æstimabant.—Viginti talentis unam orationem Isocrates vendidit.—Tantus terror Gallici nominis erat, ut multi reges ultro pacem ingenti pecunia mercarentur.

---

1. Homini cibo opus est.—Magistratibus opus est, sine quorum **127**

Page

prudentia ac diligentia esse civitas non potest.—Quanto argento opus est tibi ?—Verres multa sibi opus esse aiebat, multa canibus suis.—Det ille veniam facile, cui veniâ est opus.—Ad correctionem errantium sceleratorumque irato castigatore non est opus.

---

2. Ubi rerum testimonia adsunt, quid opus est verbis ?—Corpori, multo cibo, multa potione opus est, multo oleo, longa denique opera ; continget tibi virtus sine apparatu, sine impensa.—Quid tibi opus est ut sis bonus ? Velle.—Quæ amicis suis opus erant Atticus omnia ex sua re familiari dedit.—Athenienses Philippidem, cursorem, Lacedæmonem miserunt, ut nunciaret, quam celeri opus esset auxilio.
128 —Quascunque res opus esse intelligam, has tibi præstabo.

---

1. Omnes sunt divites, dicunt Stoici, qui cœlo et terra frui possint.—Mente recte uti non possumus, multo cibo et potione com-
129 pleti.—Munus animi est ratione uti.—Multi abutuntur et otio et literis.—Augustus Alexandrea quo Antonius cum Cleopatra confugerat, brevi (tempore) potitus est.—Numidæ plerumque lacte et ferina carne vescebantur.

---

2. Salus hominum non veritate solum sed etiam fama nititur.—Plerique nimia indulgentia in liberos suos utuntur.—Juvenis gaudet equis canibusque.—Ferina rabies est sanguine gaudere et vulneribus.—Jason aureo vellere potitus est.—Te virtute decet potius quam sanguine niti.

---

3. Annulo Marcelli simul cum corpore Hannibal potitus Salapiam literas misit ejus nomine compositas.—Est genus quoddam hominum, quod Helotes vocatur, quorum ingens multitudo agros Lacedæmoniorum colit, servorumque munere fungitur.—Natura fert, ut iis faveamus, qui eadem pericula quibus nos perfuncti sumus ingrediantur.—Quibus bestiis is erat cibus ut alius generis bestiis vescerentur aut vires natura dedit, aut celeritatem.—Commoda quibus utimur, lucemque qua fruimur, spiritumque quem ducimus, a Deo nobis dari atque impertiri videmus.

---

130 1. Chabrias multas res memoria dignas gessit.—Fretus intelligentia vestra, dissero brevius quam causa desiderat.—Gere animum laude dignum.—Sunt homines nomine tantum, non re, qui homine indigna faciunt.—Quis generosum diceret hunc, qui indignus genere sit ?—Hujus consilio fretus sum.

Page

2. Frustra ac sine causa quid facere Deo indignum est.—Excellentium hominum virtus imitatione non invidia digna est.—Quem non pudet hunc ego, non reprehensione solum, sed etiam poena dignum puto.—Plerique, ingenio freti, simul et cogitant et dicunt: sed certe iidem illi melius aliquanto dicerent, si aliud sibi tempus ad cogitandum, aliud ad dicendum sumerent.—Non solum ingratus verum etiam omni ope divina humanaque indignus videtur. **131**

---

1. Marius, anno septuagesimo, extractus arundineto in quod se abdiderat, in carcerem Minturnensem jussu duumviri perductus est.—P. Lænas Lucilium saxo Tarpeïo dejecit.—Proscriptorum liberi, exclusi paternis opibus, etiam petendorum honorum jure prohibebantur.—Conquirentibus ministris Sullæ Cæsarem ad necem, mutata veste, nocte urbe elapsus est. **132**

---

2. Ibes avertunt pestem ab Ægypto, quum volucres angues interficiunt atque consumunt.—Lacedæmonii de diutina contentione destiterunt, et sua sponte Atheniensibus imperii maritimi principatum concesserunt.—Cædem a vobis liberisque vestris, Quirites, vastitatem, incendia, rapinas, meo dolore luctuque depuli.—Porcia lex virgas ab omnium civium Romanorum corporibus removit.

Manlius thesauros Gallici auri occultari a Patribus jaciebat, eaque res si palam fieret, exsolvi plebem ære alieno posse.—Amicus abi; exonera civitatem vano forsitan metu.—Hæc procurata ex libris Sibyllinis magna ex parte levaverunt religione animos Romanorum.

---

1. Poetæ quæstionem attulerunt, quidnam esset illud in quo ipsi differrent ab oratoribus.—A meis rationibus non abhorrebunt tuæ.—Cato, quum in senatu sententiam diceret, locos graves ex philosophia tractare solebat, abhorrentes ab hoc usu forensi.—Malevoli homines, ignari meæ constantiæ, conabantur alienare a te voluntatem meam. **133**

---

2. Summum est periculum ne equites, si nihil impetraverint, plane alienentur a senatu.—Hominum vita longissime distat a victu bestiarum.—Astutiæ tollendæ sunt, eaque malitia, quæ vult se videri esse prudentiam, sed distat ab ea plurimum.—Temeritas ejus tanta ut non multum abhorreat ab insania.

---

1. Nihil est amabilius virtute.—Quid est melius, aut quid præstantius, bonitate et beneficentia?—Vilius argentum auro, virtutibus **134**

Page

aurum.—Quid potest esse sole majus?—Tullus Hostilius non solum proximo regi dissimilis, sed ferocior etiam Romulo fuit.—Lux sonitu velocior est.

---

2. Quis te potius Scipio de majorum institutis dixerit, quum sis
135 clarissimis ipse majoribus?—Nemo elegantius Scipione intervalla negotii otio dispungebat.—Supervacuus foret in studiis longior labor, si nihil liceret melius invenire præterito.—Justitiam quærimus, rem multo omni auro carius.—Nihil laudabilius, nihil magno et præclaro viro dignius placabilitate ac clementia.

---

3. Ea quæ dixi sole ipso clariora sunt.—Turpis fuga mortis omni est morte pejor.—Quid est inconstantia, mobilitate, levitate turpius?—Nec locus tibi ullus dulcior esse debet patria.—Nihil est incertius vulgo, nihil obscurius voluntate hominum.

---

1. Nihil libentius populus Romanus aspexit, quam elephantos cum
136 turribus suis, qui, non sine sensu captivitatis, submissis cervicibus, victores equos secuti sunt.—Multitudo alioqui impotens, sæva, mutabilis, ubi vana religione capti sint, melius vatibus quam ducibus suis paret.—Turba militum, muliebriter propemodum culta, luxui magis quam decoris armis conspicua fuit.

---

2. Victus est Xerxes Themistoclis magis consilio quam armis Græciæ.—Simulatio eorum qui ut benefici videantur multa faciunt, vanitati est conjunctior quam liberalitati. — Si vicinus tuus meliorem equum habeat quam tuus est.—Ut gloriari possis multo fortiorem, quam ipse es, virum abs te occisum esse.

---

137 1. Pestilentia minacior quam perniciosior cogitationes hominum a certaminibus publicis avertit.—Alexander hostes prudentius quam avidius persecutus est.—Romani bella quædam fortius quam felicius gesserunt.—Hannibalem non fefellit, ferocius quam consultius rem hostes gesturos esse.

---

2. Obsessi acrius quam constantius prœlium inierunt: quippe ut
138 Macedonum signa circumagi vident, repente sistunt gradum.—Consilium Mazacis non ratione prudentius, quam eventu felicius fuit: ad unum omnes cum ipso duce interfecti sunt.—Acrior impetu atque animis, quam compositior ullo ordine, pugna fuit.—Festinationem Cæsaris aliquamdiu morata Massilia est, fide melior quam consilio prudentior.

Page

1. Sol est multis partibus major quam terra.—Verus amicus nihilo plus se ipsum quam amicum diligit.—Quo quid est præclarius, hoc difficilius.—Recte præcipere videntur, qui monent, ut, quanto superiores simus, tanto nos geramus submissius.—Stoici mihi videntur fines officiorum paullo longius, quam natura vellet, protulisse.

---

2. Eo crassior aër est, quo terris propior.—Eo minor est arcus,
quo altior est sol.—Tanto brevius omne tempus, quanto felicius est. **139**
—Turres in muris Babylonis denis pedibus quam murus altiores sunt.—Aliquanto patientius mortem quam dedecora suorum tulit Augustus.

3. Siculi nonnunquam uno die longiorem mensem faciunt, aut biduo.—Quanto latius officii patet quam juris regula!—Via qua omnes commeabant altero tanto longior erat, sed omnium rerum abundans (erat).—Hoc tibi confirmo, nihilo te nunc majore in discrimine esse quam quemvis nostrum.—Sol, quem mathematici amplius duodeviginti partibus confirmant majorem esse quam terram, quantulus nobis videtur!

O Dea, sis felix, nostrumque leves laborem.—Audi, Jupiter; audi, **140**
pater patrate populi Albani; audi, tu, populus Albanus.—Quid te docebo, mi Rufe?—O di boni! quid est in hominis vita diu?—O frustra susceptus meus labor!—O spes fallaces! O cogitationes inanes meæ!

---

1. Ager, quum multos annos quieverit, uberiores fruges afferre **141**
solet.—Avarus dies noctesque cruciatur.—Nemo est tam senex qui se annum non putet posse vivere.—Nemo exploratum habet, divitias suas sibi permansuras esse unum diem.—Pythagoras annos viginti Crotonæ vivebat.—Tardius ingrediuntur ii, qui ferro vincti multos annos.

---

2. Duodequadraginta annos tyrannus Syracusarum erat Dionysius.—Decem quondam annos urbs obsidebatur ab universa Græcia.—Quædam bestiolæ unum diem vivunt.—Socrates triginta dies in carcere, et in exspectatione mortis exigebat.—Multa sæcula sic vigebat Pythagoreorum nomen ut nulli alii docti viderentur.—Augustus non amplius quum plurimum quam septem horas dormiebat, ac ne eas quidem continuas, sed ut in illo temporis spatio ter aut quater expergisceret.

Page

Mithradates, qui uno die tot cives Romanos trucidavit ab illo
142 tempore annum jam tertium et vicesimum regnat.—Rex Archelaus quinquagesimum annum Cappadocia potiebatur.—Nestor tertiam ætatem hominum vivebat.—Punico bello duodecimum annum Italia urebatur.

Decessit Alexander, mensem unum, annos tres et triginta natus. —Dionysius, quinque et viginti annos natus, dominatum occupavit. —Cato major, annos quinque et octoginta natus, excessit e vita.—Hamilcar secum in Hispaniam duxit Hannibalem, annos novem natum.—Arganthonius ad imperium quadraginta annos natus accessit, octoginta annos regnabat, et centum et viginti vivebat.

---

1. Quis est qui credat, Apollinem Latine Pyrrho respondisse?
143 Præterea, Pyrrhi tempore jam Apollo versus facere desierat.—Arabes, Phryges et Cilices, quod pastu pecudum maxime utuntur, campos et montes hieme et æstate peragrant.—Vere primo, ad edictum, copiæ convenerunt.—Cervorum mares cornua habent, solique animalium, omnibus annis, stato veris tempore amittunt.—Thynnorum captura est a Vergiliarum exortu ad Arcturi occasum; reliquo tempore latent in gurgitibus imis.

---

2. Obiit Augustus decimo quarto (ante) Calendas Septembres, hora diei nona, septuagesimo et sexto ætatis anno.—Alexander Macedo tertio et tricesimo anno mortem obiit.—Qua nocte natus est Alexander, eadem Dianæ Ephesiæ templum deflagravit.—Luce sacra requiescat humus, requiescat arator.—Mors nobis omni hora impendet.

---

144 1. Numa Pompilius annis permultis ante fuit quam Pythagoras.
145 —Homerus annis multis fuit ante Romulum.—Themistocles fecit idem, quod viginti annis ante fecerat Coriolanus.—Condita est Carthago octoginta duobus annis ante quam Roma.—Corpus Alexandri Memphim, et inde paucis post annis Alexandream translatum est. —Servi iis judicibus, qui multis post sæculis de te judicabunt.

---

2. Lælius sermonem de amicitia habuit paucis diebus post mortem Africani.—Centum et octo annis post Lycurgi leges prima posita est Olympias.—Dictator institutus est decem fere annis post primos consules Titus Lartius.—Regiis annis dinumeratis intelligi potest, anno fere centesimo et quadragesimo post mortem Numæ primum Italiam Pythagoran attigisse.—Socrates supremo vitæ die

Page

de immortalitate animi multa disseruit, et paucis ante diebus, quum facile potuisset educi e custodia noluit.

Consul ipse ita insistebat operi ut die quadragesimo quinto quam ex sylva detracta esset materia, naves, instructæ et armatæ, in aquam deducerentur.—Post annum quintum quam expulsus erat Aristides in patriam revocatus est.—Tyrus, septimo mense quam oppugnari cœpta erat, capta est.—Pharnacem, Mithradatis filium, Cæsar quatuor quibus in conspectum venerat horis una profligavit acie.—Sæculis multis ante gymnasia inventa sunt quam in his philosophi garrire cœperunt.—Mors S. Roscii, (quatriduo) quo is occisus est, Chrysogono nunciatur.—Accidit repentinum incommodum biduo quo hæc sunt gesta. **146**

Demosthenes, qui abhinc annis prope trecentis fuit, Pythiam cum Philippo facere dicebat.—Carthago diruta est, quum stetisset annos sexcentos sexaginta septem, abhinc annis centum septuaginta septem.—Quod pro Cornificio me abhinc amplius annis viginti quinque spospondisse dicit Flavius, velim dares operam ut investiges sitne ita.—Si Cneius Pompeius abhinc annis quingentis fuisset, mors extinxisset invidiam, resque ejus gestæ sempiterni nominis gloria niterentur. **147**

Saturni stella triginta fere annis cursum suum conficit; Jovis stella eundem signorum orbem annis duodecim conficit.—Æstus maris bis accidit horarum duodecim spatio.—Exclusi ab Heraclidis Orestis liberi, quinto decimo anno sedem ceperunt Lesbum insulam.—Exercitus Alexandri septendecim dierum spatio Caucasum superavit, qui Asiam perpetuo jugo dividit.—Pompeius undequinquagesimo die ad imperium populi Romani Ciliciam adjunxit.—Multi intra vicesimum diem dictatura se abdicaverunt.

Pythius ad cœnam Canium invitavit in posterum diem.—Solis defectiones prædictæ sunt in multos annos.—Vult me præsto esse ad horam destinatam.—Pecuniam solvam ad Græcas kalendas.—Auctio constituta est in mensem Januarium.—Optamus tibi in proximum annum consulatum. **148**

---

1. Alexandreæ et Pergami maximæ olim bibliothecæ fuerunt.—Babylone Alexander mortuus est.—Fuit Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnabat annos.—Delphis fuit clarissimum totius Græciæ oraculum.—Dionysius tyrannus, Syracusis expulsus,

Page
Corinthi pueros docuit.—Artemisia, Mausoli, Cariæ regis, uxor,
149 nobile illud Halicarnassi fecit sepulcrum.

---

2. Græci, alii Sicyone, alii Corinthi, repertam esse affirmant picturam.—Tempestatis tantæ dissimilitudines sæpe sunt ut alia Romæ, alia Tusculi, sit.—Lysander dicere solebat, Lacedæmone esse honestissimum domicilium senectutis.—Timoleon arcem Syracusis, quam muniverat Dionysius, a fundamento disjecit.—Alcibiades natus est Athenis, splendidissima civitate.

---

150 1. Æsopus, a Crœso, Delphos, ad Apollinis oraculum, missus est. —Lævinus consul Agrigentum, quod tenebatur a Carthaginiensium valido præsidio, legiones duxit.—Curius Dentatus quatuor elephantos Romam duxit.—Dion obsecravit Dionysium ut Platonem Syracusas arcesseret.—Achæi, ab Heraclidis ex Laconia pulsi, eas occupaverunt sedes quas nunc obtinent: Pelasgi Athenas commigraverunt.

---

2. Darius, haud ignarus quam cum strenuo hoste res esset omnia longinquarum gentium auxilia Babylona contrahi jubet.—Ægyptii, derasis capitibus, Apim quærunt; inventus Memphim ducitur.—Patres conscripti, qui, Hannibale vivo, nunquam se sine insidiis esse futuros existimabant, legatos Prusam, ad regem Prusiam, miserunt. —Phœbidas Lacedæmonius, quum exercitum Olynthum duceret, iter per Thebas fecit.

---

151 Cæsar Tarracone discessit, pedibus Narbonem, atque inde Massiliam pervenit.—Timoleon, quum propter diuturnitatem belli non solum regionem sed etiam urbes desertas videret, Corintho colonos arcessivit.—Etesiæ iis, qui Alexandrea navigant, adversissimæ sunt. —Cimon Athenis Lacedæmonem profectus est.—Mummius Romam, multis opibus oneratus, Corintho rediit.—Pompeius Luceria proficiscitur Canusium, atque inde Brundisium.

---

152 1. Persarum rex Darius ex Asia in Europam exercitum trajecit, bellumque Scythis intulit.—Plerique scripserunt Themistoclem, regnante Xerxe, in Asiam transisse.—Cato ex Sardinia Ennium poetam deduxit.—Quum in Italiam proficisceretur, Servium Galbam in Galliam misit.—Magnam ex Asia, Cycladibusque insulis, Corcyra, Athenis, Ponto, Bithynia, Syria, Cilicia, Phœnice, et Ægypto classem coegit.

Page

2. Præter has expectavit cum Scipione duas alias legiones ex Syria; sagittarios ex Creta, Lacedæmone, Ponto et Syria.—Conon plurimum Cypri vixit, Iphicrates in Thracia, Timotheus Lesbi.—Æschines Athenis cessit et se Rhodum contulit.—Lycurgus Cretam profectus est, ibique perpetuum exilium egit.—Proditum est memoriæ, Latonem ex longo errore confugisse Delum, atque ibi Apollinem Dianamque peperisse.—Athenienses, bello Persico, sua omnia partim Salaminem, partim Trœzena asportaverunt.

---

1. Manlius ruri juventutem egit.—Quinctius patriciæ vir gentis **154**
fuit, qui, quum ex vulnere claudus esset, ruri agere vitam constituerat.—Credidit Tullus Hostilius salubriora militiæ quam domi juvenum corpora fore.—Cur Marius, septimum consul, domi suæ senex mortuus est? Cur omnium crudelissimus Cinna tamdiu regnabat.

---

2. Militiæ Scipionem ut deum colebat Lælius; domi Lælium observabat in parentis loco Scipio.—Platonis vox altior est quam ut eam nos, humi strati, suspicere possimus.—Darii mater, perlata fama de Alexandri morte, vestem lugubrem sumsit, laceratisque crinibus humi corpus abjecit.—Quum Tullius rure rediverit mittam eum ad te.—Qui domo venerit, nescit an domum redeat.—Nusquam commodius vivitur quam domi.

---

1. Citius vitam veniamque militibus Antonianis Cæsar promisit, **155**
quam illis ut eas precarentur persuasum est.—Juvenes magna spectare, et ad ea recto studio debent contendere; quæ eo firmiore animo facient, quia non modo non invidetur illi ætati, verum etiam favetur.—Invident homines maxime paribus aut inferioribus; sed etiam superioribus aliquando invidetur.

---

2. Ego mihi nunquam minus quam hesterno die placui; qui dum obsequerer adolescentibus, me senem esse oblitus sim.—Meo mihi placitum est edicto, illi suo.—Magnum beneficium quod non me Brundisii interfeceris, fateor; quanquam nemo fuit eorum qui tum tecum fuerunt, qui mihi non censeret parci oportere.—Hostibus
tantum in agris vastandis et incendiis faciendis nocitum est. **156**

---

1. Præfectum equitum Thessalorum Parmenioni conjungi jubet Alexander, et quæ is imperavisset impigre exequi.—Sisygambis Alexandri pedibus advoluta est, ignorationem nunquam antea visi regis excusans.—Proximis applicantur omnia quæ tenera sunt, et in eorum similitudinem crescunt; inde sæpe nutricum et pædagogo-

Page

rum pueri retulerunt mores.—Cæsar, quum a piratis retineretur, nunquam, aut nocte, aut die, aut excalceatus est aut discinctus.

---

2. Præparant hiemi herinacei cibos, ac volutati super jacentia poma, affixa spinis portant in caveas arboreas.—Sanguis per venas in omne corpus diffunditur.—Quæritur utrum mundus, terra stante, circumeat, an, mundo stante, terra versetur.—Moriturus fertur in medium hostem.

---

157 1. Me Pompeius Capuam venire voluit, et adjuvare delectum, in quo parum prolixe respondent Campani coloni. —Vagamur egentes cum conjugibus et liberis; in unius hominis, quotannis periculose ægroti, anima positas omnes nostras spes habemus.

---

2. Hæc omittam; augeo enim dolorem retractando.—Quod interest inter metentem agricolam et serentem, hoc inter eum qui paravit amicum et qui parat.—Præclaram causam ad me defertis.

---

158 1. Ne illa quidem, quæ videntur confusa et incerta, sine ratione, quamvis subita sint, accidunt.—Quemadmodum tot amnes non mutant saporem maris, ita adversarum impetus rerum viri fortis non mutat animum.

---

2. Ut ab his qui templa diruunt, aut simulacra conflant, nihil diis nocetur, ita quicquid fit in sapientem petulanter superbeve frustra tentatur.—Quum penes unum sit omnium summa rerum, regem illum vocamus, et regnum ejus reipublicæ statum.

---

1. Quoniam mare superum obsidetur, inferum navigabo, et Crotonem petam aut Thurios.—Hæc scelera partim parantur et jam co-
159 gitantur.—Cætera ad senatum referentur, quem jam vocari videtis.

---

2. Sic obstupuerunt, sic furtim nonnunquam inter se adspiciebant, ut non jam ab aliis indicari, sed indicare se ipsos viderentur.—Ego amissam rempublicam puto, cum vulneribus suis, tum medicamentis iis quæ parantur.—Quum senatus tot millium morientium gemitu exterritus esset, Sylla, "Hoc agamus," inquit, "Patres conscripti; pauculi seditiosi meo jussu occiduntur."

---

1. Milites itineri quam prælio aptiores fuerunt, raptimque arma
160 capiebant; alii in jugum montis evaserant, ut hostium agmen inde prospicerent; equos plerique frænabant.—Cohors quæ excubabat

ad tabernaculum regis, verita ne majoris motus principium esset, armare se cœperat.

---

2. Principio rerum, gentium nationumque imperium penes reges erat.—Marcone Crasso utile fuisset, tunc quum maximis opibus fortunisque florebat, scire sibi trans Euphratem cum ignominia esse pereundum?—Miltiades hostes fore tardiores dixit si animadverterent auderi adversus se tam exiguis copiis dimicare.—Quum insula in Ægæo mari surgeret, spumabat mare et fumus ex alto ferebatur.

---

1. Clodius eos qui dicerent dignitati esse serviendum, reipublicæ consulendum, insanire dicebat.—Domitius tribunus plebis legem
tulit, ut sacerdotes, quos antea collegæ sufficiebant, populus crearet. **161**

---

2. Pythagoras perturbationes animi lyra componebat.—Tempus quod adhuc aut surripiebatur aut excidebat, collige et serva.—Armorum et equitandi peritissimus Cæsar, laboris ultra fidem patiens erat; in agmine nonnunquam equo, sæpius pedibus anteibat.

---

1. Phœbidas Læcedæmonius, quum exercitum Olynthum duce- **162**
ret, iterque per Thebas faceret, arcem oppidi, quæ Cadmea nominatur, occupavit.—Pyrrhus, quum Argos oppidum oppugnaret in Peloponneso, lapide ictus interiit.—Julius Cæsar Cornelium Dolabellam, consularem et triumphalem virum, repetundarum postulavit, absolutoque Rhodum secedere statuit.

---

2. Tempore extremo ad dimicandum cunctantior factus est Cæsar, nihil se tantum acquisiturum victoria opinans, quantum auferre calamitas posset.—Nero sine mora nomen suum in albo profitentium citharœdorum jussit adscribi, sorticulaque in urnam cum cæteris demissa, intravit ordine suo.—Hannibal, quotiescunque cum Romanis congressus est in Italia, semper discessit superior.

Qui adipisci veram gloriam volet justitiæ fungatur officiis.—Vi- **163**
dendum est ne quos ob benefacta diligi volemus, eorum laudem atque gloriam nimis efferre videamur.—Omnibus in rebus disserendis hac lege utendum est ut explicetur quid declaretur eo nomine
de quo quæretur.—Qui rempublicam gubernant, consulere debent ut **164**
earum rerum copia sit quæ erunt necessariæ.

---

1. Negant aliqui sapientem suscepturum ullam reipublicæ partem, extra quam si eum necessitas coegerit.—Romam quum venero, quæ

Page

perspexero scribam ad te, et maxime de dictatura.—Geram tibi morem, et ea quæ vis ut potero explicabo; nec tamen quasi Pythius Apollo, certa ut sint et fixa quæ dixero.

---

2. Multa alia ad te scribam, quum primum aliquid otii nactus ero.—Mihi dolebit, non tibi, si quid ego stulte fecero.—Si qua res me isto adduxerit, enitar si quo modo potero, ut præter te nemo dolorem meum sentiat.—E tribus reipublicæ formis nullam ipsam per se probo, anteponoque singulis illam quæ conflata fuerit ex omnibus.

---

165 1. Darius ad Euphratem contendit id demum credens fore ipsius, quod celeritate præripere potuisset.—Amyntas, quum in illo statu rerum id quemque quod occupasset habiturum esse arbitraretur, velut certo jure possessum, Ægyptum petere decrevit.

---

2. Præmonitus est somnio Cyrus, ut quem primum postero die obviam habuisset, socium cœptis assumeret.—Promisit Hannibal Gallis, se non stricturum esse ante gladium, quam in Italiam venisset.—Utinam emori fortunis meis honestus exitus esset, nec vivere contemtus viderer, si injuriæ concessissem.

---

166 1. Multi non vivunt, sed sunt victuri; ita differunt omnia.—Si una est interiturus animus cum corpore, vos memoriam nostram pie inviolateque servatote.—Deiotarus, quum ex itinere quodam proposito revertisset, conclave illud ubi erat mansurus, si ire perrexisset, proxima nocte corruit.

---

2. Vedius Pollio devorandos servos objiciebat murænis quas esurus erat.—Romani Pœnos, qui Saguntum oppugnarunt, ultimis cruciatibus affecturi fuerunt.—Alexander excursurus cum valida
167 manu fuerat ad Athenas delendas.—Ne quem exercitum, qui cum populo Romano sociisve bellum gesturus erit, rex per fines regni sui transire sinito.—Sulpicius pronuntiavit, nocte proxima ab hora secunda usque ad quartam horam, lunam esse defecturam.

An tu censes ullam anum tam deliram futuram fuisse, ut somniis crederet, nisi ista casu nonnunquam concurrerent?—Varro dicit Musas Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent.—An censes me tantos labores suscepturum fuisse, si iisdem finibus gloriam meam quibus vitam essem terminaturus?—Pollio Asinius Cæsarem existimat suos rescripturum et correcturum commentarios fuisse.

Page

An Cneium Pompeium censes tribus suis consulatibus lætaturum 168
fuisse, si scivisset se in solitudine Ægyptiorum trucidatum iri?—De Antonio Balbus ad me scripsit; te tamen scire volo, me neque isto nuncio perturbatum esse, neque jam ullo perturbatum iri.—De Pompeio scio nihil, eumque nisi in navim se contulerit, exceptum iri puto.—Magna in spe sum mihi nihil temporis prorogatum iri.

E legatis Veientium unus senatui dixit, in fatis Veientium scrip- 169
tum esse, fore ut brevi a Gallis Roma caperetur.—Otho speraverat fore ut adoptaretur a Galba, idque in dies expectabat.—Illud tibi
affirmo, si rem ex sententia gesseris, fore ut ab omnibus collaude- 170
ris.—Me in summo dolore maxime consolatur spes, fore ut infringatur hominum improbitas, et consiliis tuorum amicorum et ipsa die.—Spero fore ut contingat.—Non dubito quin futurum sit ut fulgeat.

---

1. In Ciceronis ad Atticum epistolis sic omnia de mutationibus 173
reipublicæ perscripta sunt ut nihil in iis non appareat.—Non est provincia, ut opinor, exceptis duntaxat Africa et Sardinia, quam Augustus non adierit.—Tanta est corruptela malæ consuetudinis, ut ab ea tanquam igniculi virtutis extinguantur; exorianturque et confirmentur vitia.

---

2. Sunt qui Marium concurrentem cum Telesino occubuisse prodiderint.—Sisygambis, "Rex," inquit, "mereris, ut ea precemur tibi, quæ Dario nostro quondam precati sumus; et, ut video, dignus es qui tantum regem non felicitate solum, sed etiam æquitate superaveris."

Tantam rerum ubertatem natura largita est, ut ea, quæ gignuntur, donata esse consulto nobis non fortuito nata videantur.—Bene
fecit Silius, qui transegerit, neque enim ei deesse volebam, et quid 174
possem timebam.—Ego rebus meis gestis hoc sum assecutus, ut bonum nomen existimer.—Pauci reperti sunt, qui nullis præmiis propositis vitam suam hostium telis objecerint pro patria.

Reperiam multos quibus quidquid velim facile persuadeam.—Testes omnes, si cuperent, interficere non possent; nam dum hominum genus erit, qui accuset eos non deerit.—Ego puto Cæsarem facturum esse ut præsidia deducat; vicerit enim si consul factus erit, et minore scelere vicerit, quam quo ingressus est patriam.—Si quid Curionis sermo ejusmodi attulerit, quod ad te scribendum sit, id literis meis adjungam.—Quoad Pompeius in Italia erat, spe-

Page

rare non destiti; nunc si vel periculo experiendum erit, experiar certe ut hinc avolem.

Nonnulli patres familiarum testamento caverunt, ut victimæ in Capitolium ducerentur, votaque pro se solverentur, quod superstitem Augustum reliquissent.—Servii Tullii sollertia ita ordinata est respublica, ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officio-
175 rumque discrimina in tabulas referrentur.—Promisit Hannibal Gallis, se non stricturum esse ante gladium quam in Italiam venisset. —Aliæ dissensiones erant ejusmodi, Quirites, quæ non ad delendam sed ad commutandam rempublicam pertinerent.—Filiam et neptes ita instituit Augustus ut etiam lanificio assuefaceret, vetaretque loqui aut agere quidquam, nisi quod in diurnos commentarios referretur.

Trans Rhenum Tiberius ita vitam instituit, ut sedens in cespite nudo cibum sumeret, et sæpe sine tentorio pernoctaret.—Non arbitrabar, quum consul designatus ab equitis Romani filio defenderetur, de generis novitate accusatores esse dicturos.—Maximam hæc res difficultatem ad consilium capiendum adferebat; ne si maturius ex hibernis copias educeret ab re frumentaria laboraret.

Consules neque literis neque senatus consulto præceperant mihi quid facerem.—Si quid erit in Commentario meo, quod minus Græcum videatur, non dicam, quod Lucullus dixerat, se, quo facilius
176 historias suas probaret Romani hominis esse, idcirco barbara quædam dispersisse.—Vehemens Favonius erat, et multam materiam ceciderant Alexandri milites, ut aditum per saxa facerent; hæc vapore inaruerat, igneque injecto, flammam in ora hostium ventus ferebat.

---

177 1. Socrates dicere solebat, omnes in eo quod scirent satis esse eloquentes.—Iliensium populo, paulo serius consolanti, respondit Tiberius, se quoque vicem eorum dolere, quod egregium civem Hectorem amisissent.—Pyrrhum, maximum præceptorem certaminis gymnici, solitum esse aiunt his quos exercebat præcipere, ne irascerentur.

---

2. Interea cum Musis me delectabo; nec mihi unquam veniet in mentem Crasso invidere, neque pœnitere quod a me ipso non desciverim.—De republica video te omnia colligere, quæ putes aliquam spem mihi posse adferre mutandarum rerum.—Pompeio statim re-

Page

scripsi (hominemque certum misi de comitibus meis) non me quærere ubi tutissime essem.

Parmenio Damascum quarto die pervenit, jam metuente præfecto **178**
ne sibi fides non habita esset.—Dubitanti mihi quid me facere par sit, magnum pondus affert benevolentia erga Pompeium; qua demta, melius esset in patria perire, quam patriam servando evêrtere.—Magnitudo doloris, modum excedentis, necesse est delectum verborum eripiat.

---

1. Secutum est bellum gestum apud Mutinam; in quo si tantum Atticum prudentem dicam, minus quam debeam prædicem.—Ego vero in iis etiam causis in quibus omnis nobis res cum judicibus est, non cum populo, tamen si a corona relictus sim, non queam dicere.—Orationes quas historiæ suæ interposuit Thucydides imitari neque possim si velim, nec velim fortasse si possim.

---

2. Si cum hac exceptione detur mihi sapientia, ut illam inclusam **179**
teneam, nec enunciem, rejiciam.—Multas opportunitates prætermisi, quas si queri velim præteritas, nihil agam nisi ut augeam dolorem tuum, indicem stultitiam meam.—Multos circa unam rem ambitus fecerim, si quæ de Marcelli morte variant auctores exsequi velim.

Alexandrum dixisse ferunt, "Nisi Alexander essem, essem libenter Diogenes."—Sunt innumerabilia generis ejusdem, quæ quidem non ferrem, nisi haberem socium studiorum meorum Atticum nostrum.—Hæc tibi ridicula videntur, quia non ades, quæ si videres, lacrimas non teneres.—Si quis has platanos circum foderet, si irrigaret, non nodosi essent rami et squalidi trunci.—Si dii philosophiam bonum vulgare facerent, si prudentes nasceremur, sapientia, quod in se optimum habet, perderet.

---

1. Volumnia debuit in te officiosior esse, et id ipsum quod fecit **180**
potuit diligentius facere.—Ad mortem te duci jussu consulis jam- **181**
pridem oportebat; et in te conferri pestem istam, quam tu in nos omnes jamdiu machinaris.

---

2. Est signum imago avi tui, qui amavit unice patriam et cives suos, quæ quidem te a tanto scelere, etiam muta, revocare debuit.—Mazæus, qui si transeuntibus flumen supervenisset, haud dubie oppressurus fuit incompositos, in ripa demum adequitare cœpit.—Deleri potuit exercitus si quis ausus esset vincere.

Page

3. Si homines rationem, bono consilio a diis immortalibus datam, in fraudem malitiamque convertant, non dari illam quam dari humano generi melius fuit.—Quæ conditio non accipienda fuit, potius quam relinquenda patria?—Quum in acie stare ac pugnare decuerat, tum in castra refugerunt; quum pro vallo pugnandum erat castra tradiderunt.—Plato philosophos ad rempublicam ne accedere quidem debere putat, nisi coactos; æquius autem erat id voluntate fieri.

---

182 1. Quisquis erit vitæ color, satiras scribam.—Qui hostem feriet,
183 mihi erit Carthaginiensis; quisquis est.—Quisquis es, quicquid tibi nomen est, odi te.—Quicunque is est, ei me profiteor inimicum.—Totum hoc, quantumcunque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum.—Aures civitatis nos primi, quicunque eramus, et quantulumcunque dicebatur, ad hujus generis studia convertimus.

---

2. Si duæ leges, aut si plures, aut quotquot sunt, conservari non possint.—Id, utut est, etsi est dedecorum, patiar.—Utut erga me meritus est, mihi cordi est tamen.—Utcunque se ea res habuit, Tiberius properis matris literis accitur.—Utcunque mecum tu eris, libens insanientem Bosporum tentabo.

---

184 Pons Sublicius iter pæne hostibus dederat, ni unus vir fuisset, Horatius Cocles eximiæ virtutis.—Populus effigies Pisonis divellebat, ni jussu principis protectæ essent.—Quem tibi hoc daturum esse putas? si enim ita esset, quid opus erat te gradatim istuc pervenire?—Si non alium longe jactaret odorem, laurus erat.

---

186 1. Romana prodigia, Horatius, Mucius, Clœlia nisi in annalibus forent hodie fabulæ viderentur.—Socrates servo aiebat, "Cæderem te nisi irascerer;" admonitionem servi in aliud tempus distulit, illo tempore se admonuit.—Si bonum esset ira, perfectissimum quemque sequeretur; at iracundissimi sunt infantes, senes et ægri.

---

2. Si Cn. Pompeium Neapoli valetudo abstulisset, indubitatus populi Romani princeps excessisset.—Consilium tuum mihi optatum
187 foret, si liceret omne tempus apud te consumere: odi enim celebritatem et fugio homines.—Si quem reorum elabi rumor esset, subitus aderat Tiberius, judicesque legum et religionis admonebat.—Etiamsi non is esset Cæsar qui est, tamen ornandus videretur.

---

1. Si bona existimatio divitiis præstat, et pecunia tantopere expetitur, quanto magis gloria est expetenda!—Maxima est in sensi-

Page

bus veritas, si sani sunt et omnia removentur quæ obstant et impediunt.—Si deus es, Scytharum legati Alexandro dixerunt, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere.—Si gubernator præcipua **188** laude fertur, qui navem ex hieme marique scopuloso servat; cur non singularis ejus existimetur prudentia, qui ex procellis civilibus ad incolumitatem pervenit?

---

2. Si id dolemus, quod amico nostro jam frui nobis non licet, nostrum est id malum, quod modice feramus, ne id non ad amicitiam, sed ad domesticam utilitatem referre videamur.—Si me amas, si te a me amari scis, enitere per amicos, clientes, hospites, libertos denique et servos tuos, ut scida ne qua depereat ex iis libris, quos Sergius Claudius reliquit.—Parvi sunt foris arma, nisi est consilium domi.

---

1. Si vicinus tuus vestem pretii majoris habeat quam tu habes, tuamne an illius malis?—Si quis populum Romanum quasi hominem consideret, ut cœperit, ut adoleverit, ut quasi ad quendam juventæ florem pervenerit, ut postea velut consenuerit, quatuor gradus ejus inveniet.—Currit vox concavi parietis spatio, quamvis levi sono dicta verba perferens, si nulla inæqualitas impediat. **189**

---

2. Qui hæc procul videt, etiamsi quid agatur nesciat, in scena esse Roscium intelligit.—Qui sapientem formant undique consummatum, non modo cognitione cœlestium et mortalium instituunt, sed per quædam parva sane, si ipsa demum æstimes, ducunt.

---

1. An est quisquam qui hoc ignoret, quum de homine occiso quæratur, posse jure factum esse defendi? nisi vero existimatis dementem P. Africanum fuisse, qui quum interrogaretur, quid de morte Tiberii Gracchi judicaret respondit, jure cæsum videri.—Si remissior esse voluissem, summæ mihi crudelitatis in patriam fama subeunda erat: nisi vero quispiam J. Cæsarem crudelem, quum nuper sororis suæ virum vita privandum esse dixit, censet. **190**

---

2. Mors illata per scelus iisdem semper pœnis tenetur: nisi forte magis erit parricida si quis consularem patrem, quam si quis humilem necaverit.—Cur nunc primum Cæsari resistamus, potius quam quum quinquennium prorogabamus? nisi forte nos illi tum arma dedimus, ut nunc cum eo bene parato pugnaremus.

---

1. Putares Syllam venisse in Italiam, non belli vindicem sed **191**

Page

pacis auctorem; tanta cum quiete exercitum per Calabriam Apuliamque duxit.—Si quis deus diceret, nunquam putassem me in Academia tanquam philosophum disputaturum esse.—Signum datum esse crederes ut vasa colligerent.

---

2. Putaresne unquam accidere posse ut mihi verba deessent? neque solum ista vestra oratoria, sed hæc etiam levia nostra?—Alexander, haud secus ac si parentis suæ mors nuntiata esset, crebros edidit gemitus: crederes eum inter suas necessitudines flere, et solatia non adhibere sed quærere.—Diceret, "Quid feci, mi pater?"

---

192 Sint sane ista bona quæ putantur, honores, divitiæ, voluptates, cætera; tamen in iis ipsis potiundis, gestiens lætitia turpis est.—Intersit inter dignitatem summorum atque infimorum; non alio facinore clari homines, alio obscuri necantur.—Vendat ædes vir bonus propter aliqua vitia, quæ ipse noverit, cæteri ignorent.—Roges me, qualem deorum naturam esse ducam, nihil fortasse respondeam.

---

1. Thurinum cognominatum esse Augustum satis certa proba-
193 tione tradiderim, nactus puerilem imagunculam ejus æream, ferreis ac pæne jam exolescentibus literis, hoc nomine inscriptam.—Frater, (bona tua venia dixerim) ista sententia maxime obest reipublicæ.—Libenter his qui ita prodiderunt accesserim Romulum, adjutum legionibus avi sui, Romam condidisse.—Vix ullius gentis, ætatis, ordinis hominem inveneris, cujus felicitatem fortunæ Metelli compares.

---

2. Feras putem, quibus ex raptu alimenta sunt, meliores quo iratiores; sed patientiam laudaverim boum et equorum.—Non negaverim tristem atrocemque vobis visam orationem meam esse.—Nescias utrum magis detestabile vitium sit ira, an deforme.—Non in quadrigis eum secundum numeraverim, aut tertium, qui vix e carceribus exierit, quum palmam jam primus accepit.—Tertia ratio effodiendi metalli opera gigantum vicerit.

---

194 Velim tibi persuadeas nihil me majore studio a te petere.—Velim vos cum Pomponio consideretis, utrum honeste vos Romæ esse possitis.—De Dionysio fugit me ad te antea scribere: tu tamen videbis si erit (quod nolim) arcessendus, ne molesti simus invito.—Næ ego haud paullo Socratis animum malim, quam eorum omnium fortunas qui de eo judicaverunt.

Page

Quis sapiens bono confidet fragili?—Quis negabit, omnes improbos **195**
esse servos?—Quis dubitet, quin in virtute divitiæ sint?—Quis posthac numen Junonis adoret?—Si nosmet ipsi, qui ab delectatione omni negotiis impedimur, ludis tamen delectamur, quid tu admireris de multitudine indocta?—Quid videatur ei magnum in rebus humanis cui æternitas, totiusque mundi nota sit magnitudo?—Quid enumerem artium multitudinem, sine quibus vita omnino nulla esse potuit?—Quis non jure miretur, platanum, umbræ gratia tantum, ex alieno petitam esse orbe?

---

1. Sic cum inferiore vivas quemadmodum tecum superiorem **196**
velis vivere.—Ne committas, ut quum omnia tibi suppeditata sint a nobis, tute tibi defuisse videaris.—Si meam salutem contra fratris tui impetum in me crudelissimum defenderim; satis habeas nihil me tecum de ejus injuria conqueri.

---

2. Ego si Scipionis desiderio me moveri negem, quam id recte faciam viderint sapientes; sed certe mentiar.—Sitne igitur malum dolere necne, Stoici viderint, qui conclusiunculis, non ad sensus permanantibus, efficere volunt non esse malum dolorem.—Nihil, inquies, omnino scripseris. Quî magis effugiam eos qui volent fingere?

---

1. Hannibal vinculo quodam ita copias copulavit, ut nulla nec **198**
inter ipsos nec adversus ducem seditio exstiterit.—Thucydidis conciones ita multas habent obscuras abditasque sententias, vix ut intelligantur.—In vitiis maritimarum urbium inest illa magna commoditas, ut id quod agri efferant sui quascumque velint in terras asportare possint.—Multorum consulum præfecturas sic accepit Atticus, ut neminem in provinciam sit secutus.

---

2. Temperantia sedat appetitiones, et efficit ut hæ rectæ rationi pareant.—Tanta vis probitatis est, ut eam in hoste etiam diligamus.—Hoc quotidie meditare, ut possis æquo animo vitam relinquere.—In vindicandis injuriis hæc tria lex secuta est, ut aut eum quem punit emendet; aut pœna ejus cæteros meliores reddat; aut, sublatis malis, securi cæteri vivant.

---

1. Hæc est opinio populi Romani, inductum esse nomen religionis, **199**
non tam ut te impedirent quam ut nequis Alexandream vellet ire.—Gallinæ avesque reliquæ, pullos quum excluserint, ita eos tuentur, ut et pennis foveant ne frigore lædantur.

Page

2. Si potest virtus efficere, ne miser aliquis sit, facilius efficiet ut beatissimus sit; minus enim intervalli est a beato ad beatissimum, quam a misero ad beatum.—Etsi Græci apud Artemisium pari prælio discesserant, tamen eodem loco non ausi sunt manere; ne si pars navium adversariorum Eubœam superasset, ancipiti premerentur periculo.

---

200 1. Metuo ne, dum minuere velim laborem, augeam.—Adulatores, si quem laudent, vereri se dicunt, ut illius facta verbis consequi non possint.—Timet ne deseras se.—Id paves, ne ducas tu illam; tu autem ut ducas.—Timeo ut omnes labores sustineas, quos te suscipere video.

---

2. Vir improbus nunquam a scelere ob eam causam abstinebit, quod id natura turpe judicet, sed quod metuat ne emanet.—Si Cæsar diripiendam urbem daturus est, vereor ut Dolabella ipse satis nobis
201 prodesse possit.—Timebant milites ne Scipionis vulnus mortiferum esset.—Fœdus quia senatus non jusserat verebatur Hiempsal ut satis firmum esset.

Utrum Pompeius consistere uspiam velit, an mare transire velit, nescitur: si manet, vereor ne exercitum satis firmum habere non possit.—Infirmitatem valetudinis tuæ video, et vereor ne præsenti fortunæ tuæ sufficere non possis.—Non est periculum, ne qui leonem aut taurum pingat egregie, idem in multis aliis quadrupedibus facere non possit.—Vereor ne forte non aliorum utilitatibus, sed propriæ laudi servisse videar.—Intelligo literis tuis te vereri ne superiores mihi non redditæ sint.

---

202 1. Centuriatis Comitiis lex lata est, nequis magistratus civem Romanum adversus provocationem necaret neve verberaret.—Præclarum hoc quoque Thrasybuli, quod, quum plurimum in civitate posset, legem tulit, nequis anteactarum rerum accusaretur neve multaretur.—Hoc præcipiendum videtur lectoribus, ne alienos mores ad suos referant, neve ea quæ ipsis leviora sunt pari modo apud cæteros fuisse arbitrentur.

---

2. Rebellantes barbarorum sub lege venum dedit Augustus, ne in vicina regione servirent, neve intra tricesimum annum liberarentur.—Matresfamilias, passis manibus, obtestabantur Romanos, ut sibi parcerent, neu ne mulieribus quidem atque infantibus abstinerent.—Boni viri est hæc duo tenere in amicitia; primo nequid

Page

fictum sit neve simulatum; deinde non solum ab alio allatas criminationes repellere, sed ne ipsum quidem esse suspiciosum.

Legem brevem esse oportet quo facilius ab imperitis teneatur.— 203
Obducuntur libro aut cortice arbores, quo sint a frigoribus et a caloribus tutiores.—Sublata erat celebritas virorum ac mulierum in funeribus, quo lamentatio minueretur.—Milites Romani, fixis in terram pilis, quo leviores ardua evaderent, cursu subeunt.

---

1. Me sane, hoc quidem tempore, non movet respublica; non quo
aut sit mihi quidquam carius, aut esse debet; sed desperatis etiam 204
Hippocrates vetat adhibere medicinam.—Senatui majora visa sunt consilia tua quam erant expectata; non quod unquam de tua voluntate dubitasset, sed quod quo progredi velles non satis exploratum habebat.

---

2. Ego, non quod libenter male audiam, sed quia ego causam non libenter relinquo, ut iracundia efferar et judices abalienem, nimium patiens et lentus existimor.—Non quin breviter reddi responsum posset, idcirco delectos Patrum missos esse dixerunt; sed quia in perpetuum mentionem ejus rei finitam voluerunt.

---

1. Nego ullam gemmam aut margaritam fuisse, quin conquisierit 205
Verres, inspexerit, abstulerit.—Non est dubium quin is qui liberalis benignusve dicitur officium non fructum sequatur.—Minimum abfuit Octavianus quin periret concursu et indignatione turbæ militaris, quod gregarium militem discruciatum necasse credebatur.—Quum regnum Bithynium publicum est populi Romani factum, numquid causæ est quin omnes agros, urbes, portus, totam denique Bithyniam venditurí sint decemviri?

---

2. Ea est perturbatio omnium rerum, ut suæ quemque fortunæ maxime pœniteat, nemoque sit quin ubivis quam ubi est esse malit. —Ut ab urbe discessi, nullum adhuc intermisi diem quin ad te scriberem.—Virgilii ac Livii imagines et scripta paullum abfuit quin Caligula ex omnibus bibliothecis amoveret.

---

1. Non deterreat sapientem mors quæ quotidie imminet, propter 206
brevitatem vitæ, quominus commodis reipublicæ suisque consulat. —Est finitimus oratori poëta, in hoc quidem certe prope idem, nullis
ut terminis circumscribat jus suum, quominus ei liceat vagari quo 207
velit.—Quum soluta nobis est eligendi optio, quumque nihil impedit

Page

quominus id quod maxime placeat facere possimus, omnis dolor est repellendus.

---

2. Lege de revocando Cicerone lata, nemini civi quominus adesset satis justa visa est excusatio.—Milites Cæsaris ægre retenti sunt quin oppidum irrumperent, graviterque eam rem tulerunt, quod stetisse per Trebonium quominus oppido potirentur videbatur.—Non Isocrati quominus haberetur summus orator effecit, quod infirmitate vocis ne in publico diceret impediebatur.

Utinam exstarent illa carmina, quæ multis sæculis ante suam ætatem in epulis esse cantitata, a singulis convivis de clarorum vi-
208 rorum laudibus, in Originibus dicit Cato.—Varronis sermo facit expectationem Cæsaris, atque utinam ipse Varro incumbat in causam.—Utinam, Quirites, virorum fortium copiam tantam haberetis, ut hæc vobis deliberatio difficilis esset.—Utinam ea res Pisoni voluptati sit; gloriæ quidem video fore.—Utinam nostræ villæ secessum concupiscas, ut tot tantisque dotibus ejus maxima commendatio ex tuo contubernio accedat.

---

209 1. Respondit Cæsar, se id, quod in Nerviis fecisset, facturum esse.—Sibi præstare dixerunt, quamvis fortunam a populo Romano pati, quam ab his per cruciatus interfici, inter quos dominari consuessent.—Hoc si fecerit Publius, Lydorum auctoritatem apud omnes eos amplificaturum esse dicit, quorum auxilio, siqua bella inciderint, sustentare consueverint.

---

2. Servium dixit, ita natum, ita creatum regem, fautorem esse infimi generis hominum, ex quibus ipse sit.—Is se probaturum dicit, vel ipso Marco judice, ad quem maxima pars injuriæ pertineat.—Monet cum iis certamen fore, quos antea victos sub jugum miserint.

---

212 1. Ægyptii nullam belluam consecrabant, nisi ob utilitatem quam ex ea caperent.—Indignabantur ibi esse imperium, ubi non esset libertas.—Denuntiante Pompeio pro hostibus se habiturum esse qui reipublicæ defuissent, Cæsar medios et neutrius partis suorum sibi numero futuros pronunciavit.

---

2. Critias certos homines ad Lysandrum in Asiam misit, qui eum certiorem facerent, nisi Alcibiadem sustulisset nihil earum rerum fore ratum quas ipse Athenis constituisset.—Quidam putant Julium Cæsarem, pensitatis suis et inimicorum viribus, usum occasione

rapiendæ dominationis quam ætate prima concupisset.—Castra Alexandri magno ignis fulgore Dario in somnio collucere visa sunt, et paulo post Alexander adduci ad ipsum in eo vestis habitu, quo ipse fuisset.

---

3. Non solum corrumpi non potuerunt Afri, sed etiam legatos Lacedæmonem miserunt, qui Lysandrum accusarent, quod sacerdotes fani corrumpere conatus esset.—Ab Apamea in Phrygiam per regionem Aulocrenen itur: ibi ostenditur platanus ex qua pependerit Marsyas, ab Apolline victus.—Causa coccygi subjiciendi pullos **213**
esse putatur quod sciat se invisam cunctis avibus.

---

4. In Hercynio saltu inusitata genera avium accepimus, quorum plumæ ignium modo colluceant noctibus.—Augustus Thallo, a manu, quod pro epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura fregit.—Mirabile videtur, quod non rideat haruspex, haruspicem quum videat.—Plato escam voluptatem appellat, quod ea videlicet homines capiantur ut pisces hamo.

---

1. Habeo volumen procemiorum; itaque in Tusculano (prædio), **214**
qui non meminissem me usum esse illo procemio quod est in Academico tertio, conjeci id in librum "De Gloria."—Caninius fuit mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit.—Quem ardorem studii censes fuisse in Archimede, qui, dum in pulvere quædam describit, ne patriam quidem captam senserit.—Ipse mihi Cæsar sua concessit voluntate, ne in iis castris essem quæ contra Lentulum aut Pompeium futura essent, quorum beneficia maxima haberem.

---

2. Tarquinio quid impudentius, qui bellum gereret cum iis qui **215**
ejus non tulerant superbiam?—O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia et solertiam, contraque fictas omnium insidias, facile se per se ipsa defendat!—Ut cubitum discessimus, me, qui ad multam noctem vigilassem, arctior quam solebat somnus complexus erat.—Me miserum, qui non adfuerim!

Non facile agnoscitur callidus adulator, quippe qui etiam adversando sæpe assentetur, et litigare se simulans blandiatur, atque ad extremum det manus vincique se patiatur.—Mihi quidem potestas tribunorum plebis maxime pestifera videtur; quippe quæ in seditione et ad seditionem nascatur.—Ægyptii, olim Persarum opibus infensi, ad spem adventus Alexandri erexerant animos, utpote qui

Page

Amyntam quoque, transfugam, cum precario imperio venientem re-
216 cepissent.—Scipio eos milites non adspernabatur qui ex Cannensi exercitu superarent, ut qui neque ad Cannas ignavia eorum cladem acceptam sciret, neque ullos æque veteres milites in exercitu Romano esse.

---

1. Quum Antiochus Epiphanes Ptolemæum Alexandreæ obsideret, missus est ad eum legatus Popilius Lænas, qui juberet inceptis desistere.—Cydnus, non spatio aquarum, sed liquore memorabilis, quippe leni tractu e fontibus labens, puro solo excipitur, nec torrentes incurrunt, qui placide manantem alveum turbent.—Oculi, tanquam speculatores, altissimum locum obtinent, ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere.

---

217 2. Legati Carthaginienses Romam venerunt, qui senatui populoque Romano gratias agerent, quod cum his pacem fecissent, simulque peterent ut obsides eorum redderentur.—Literæ inventæ sunt quæ subsidio oblivioni esse possent.—Rex Philippus Aristotelem filio Alexandro doctorem accivit, a quo ille et agendi acciperet præcepta et loquendi.—Nero Pompeii theatrum Romæ operuit auro in unum diem, quod ostenderet Tiridati regi Armeniæ.

---

218 1. Quis est tam ignarus qui non intelligat reipublicæ salute contineri suam?—Quis tantus est quem non fortuna etiam humillimi auxilio indigere cogat?—Eos voces quorum mores a tuis non abhorreant.—Ea est Romana gens, quæ victa quiescere nesciat.—Ego is sum qui nihil unquam mea potius quam civium meorum causa fecerim.

---

2. Zeno nullo modo is erat qui, ut Theophrastus, nervos virtutis incideret, sed contra qui omnia quæ ad beatam vitam pertinerent, in virtute poneret.—Talem te esse oportet, qui primum te ab impiorum civium societate sejungas.—Quæ philosophorum oratio tam exquisita est, quæ sit anteponenda bene constitutæ civitati?—Nomen legati ejusmodi esse debet, quod etiam inter hostium tela incolume versetur.

---

219 1. In Laurentino (prædio) meo, nihil audio quod audisse, nihil dico quod dixisse pœniteat.—Multa Augustus digna memoria fecit, unde appareat illi iram non imperasse.—Quisquis est qui ostendat aliquid in te voluntatis, qui colat, qui domum ventitet, is, in petitione consulatus, in amicorum numero est habendus.

Page

2. Myrmecides inclaruit ex ebore formicas et alia parva animalia faciendo: quadrigam fecit, quam musca integeret alis.—Quum exprimere imaginem consuetudinis atque vitæ Epaminondæ velim, nihil videor debere prætermittere, quod pertineat ad eam declarandam. —Nobilitas Campaniæ rempublicam deseruerat, neque in senatum cogi poterat; in magistratu autem erat qui non sibi honorem adjecisset, sed indignitate sua vim ac jus magistratui quem gerebat demsisset.

Credo qui te in tua civitate incolumem esse nollent, ii monumen- **220**
tum formæ in suis civitatibus esse cupiebant.—Memoriæ proditum est, Tiberium, quoties curia egrederetur, Græcis verbis, in hunc modum, eloqui solitum, "O homines ad servitutem paratos!" Scilicet etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam projectæ servientium patientiæ tæsum est.—Nulla est tam facilis res, quin difficilis sit, qui invitus facias.—An mihi quidquam potest esse molestum, quod tibi gratum futurum sit?

Nihil dicitur a philosophis, quod quidem recte dicatur, quod non ab iis confirmatum sit, a quibus civitatibus jura descripta sunt.— Quis beatiorem quenquam putet, quam eum cui nihil desit, quod
quidem natura desideret?—Quod commodō tuo fiat, quam primum **221**
velim venias.—Petitionis nostræ hujusmodi ratio est, quod adhuc provideri possit.—Quanquam adeo excellebat Aristides abstinentia, ut unus, quod quidem audierimus, cognomine Justus sit appellatus, tamen exilio decem annorum multatus est.

Nulli opera Cimonis, nulli res familiaris defuit; multos locupletavit, complures pauperes mortuos, qui unde efferrentur non reliquissent, suo sumtu extulit.—Consul non modo Romam frumentum misit, sed et Catanam convexit, unde exercitui qui ad Tarentum æstiva (castra) acturus esset posset præberi.

Exstrui vetat sepulchrum lex Atheniensium altius quam quod **222**
quinque diebus homines quinque absolverint, nec majorem lapidem imponi quam quod capiat laudem mortui incisam quatuor heroicis versibus.—Nulla facta est transitio, metu magis Campanos quam fide continente, quia majora in defectione deliquerant, quam quibus ignosci posset.—Famæ ac fidei damna majora sunt quam quæ æstimari possint. Græci et majores et magis ramosas arbores cædebant quam quas ferre cum armis miles posset.

Page
223 1. Sunt qui putent opinatum Cæsarem, insidias undique imminen-
tes subire semel satius esse quam cavere semper.—Sunt philoso-
phi ac fuerunt, qui Deum omnino nullum habere censerent humana-
rum rerum procurationem : sunt autem alii philosophi, et hi quidem
magni atque nobiles, qui Dei mente atque ratione omnem mundum
administrari et regi censeant.—Multi sunt qui dicant, "Scio hoc
illi non profuturum esse : sed quid faciam?"

---

2. Reperies multos quibus periculosa consilia quietis splendidiora
videantur.—In omnibus sæculis pauciores viri reperti sunt, qui suas
cupiditates, quam qui hostium copias vincerent.—Si qui sunt qui
philosophorum auctoritate moveantur, negantium sapientem ad rem-
224 publicam aditurum, parumper audiant eos quorum summa est auc-
toritas apud doctissimos homines.—Sunt qui censeant una animum
et corpus occidere.

---

1. Nemo est orator qui se Demosthenis similem esse nolit.—Nul-
225 la est laus ibi esse integrum ubi nemo est qui aut possit aut conetur
corrumpere.—Nullum est animal præter hominem, quod habeat ali-
quam notitiam Dei.—Nihil est tam difficile et arduum, quod non hu-
mana mens vincat ; nulli tam feri affectus qui non disciplina perdo-
mentur.—Ipsa Peloponnesus fere tota in mari est, nec præter Phli-
asios ulli sunt, quorum agri non contingant mare.

---

2. Circumspice omnia membra reipublicæ nullum reperies profec-
to, quod non factum debilitatumque sit.—Non quenquam alium cu-
jus operis primus fuerit auctor, in eo perfectissimum, præter Ho-
merum et Archilochum reperies.—In bello nihil tam leve est quod
non magnæ interdum rei momentum faciat.—Nihil est tam incredi-
bile quod non dicendo fiat probabile ; nihil tam horridum atque in-
cultum quod non splendescat oratione et excolatur.

Non est quod miremur Ephyren ab Homero nominari Corinthum ;
nam ex persona poetæ et hanc urbem et quasdam Ionum colonias
iis nominibus appellat, quibus vocabantur ætate ejus.—De reliquis,
ita velim tibi persuadeas, te nihil habere quod timendum sit, præter
226 communem casum civitatis ; qui etsi est gravissimus, tamen ita
viximus et id ætatis jam sumus, ut omnia quæ non nostra culpa no-
bis accidant fortiter ferre debeamus.—De me nihil laboro ; de pue-
ris quid agam non habeo.—Non est quod dubites num tollere se
homo supra humana possit, qui magnos motus rerum securus ad-
spiciat, et dura placide ferat et secunda moderate.

Quid est cur tussis alicujus aut sternutamentum, aut musca parum curiose fugata nos in rabiem agat, aut clavis negligentis servi manibus elapsa?—Quotusquisque ex judicibus est, qui non ea ipsa lege teneatur, qua quærat?—Quotusquisque philosophorum invenitur qui disciplinam suam non ostentationem scientiæ, sed legem
vitæ putet?—Quo tandem modo divina illa vis evanuit? Vetustate, **227**
inquies. Quæ vetustas est quæ vim divinam conficere possit?—Quis est qui, si clarorum hominum scientiam rerum gestarum vel magnitudine vel utilitate metiri velit, non anteponat oratori imperatorem?

Non nos causa mundo sumus hiemem æstatemque referendi; nimis nos suspicimus, si digni nobis videmur propter quos tanta moveantur; suas ista leges habent.—Qui bene imperat paruerit aliquando necesse est; et qui modeste paret videtur qui aliquando imperet dignus esse.—Idonea visa est Lælii persona quæ de amicitia dissereret, quum accepissemus maxime memorabilem Scipionis et Lælii amicitiam fuisse.

Unum est de quo nominatim nos queri religio infixa animis cogat, **228**
et vos audire, si ita videbitur, velimus.—Una feminarum in omni ævo, Lampido Lacedæmonia reperitur, quæ regis filia, regis uxor, regis mater fuerit.—Notatu dignum est unum omnino quinquennium fuisse, quo senator nullus moreretur.—Proxime quum apud centumviros dixissem, subiit recordatio egisse me juvenem in eodem judicio: animus ultra processit: cœpi reputare quos in hac causa, quos in illa socios habuissem; solus eram qui in utroque dixissem.

---

1. Magis quia volebant Romani, quidquid de Carthaginiensibus **229**
diceretur credere, quam quia credenda adferrebantur, statuit senatus Carthaginem excidere.—Aspis saltuosam regionem, castellisque munitam incolens, non solum imperio regis non parebat, sed etiam quæ regi portarentur abripiebat.—Apelles, perfecta opera proponebat pergula transeuntibus, atque, post tabulam latens, vitia quæ notarentur auscultabat.

---

2. Elephanti, sicut per arctas vias magna mora agebantur, ita tutum ab hostibus, quacumque incederent, agmen præbebant, quia insuetis propius adeundi metus erat.—Montani modo in primum, modo in novissimum agmen irruebant, utcumque aut locus opportunitatem daret, aut progressi morative aliquam occasionem fecissent.—
Ex utriusque linguæ scriptoribus, præcepta ad verbum excerpta, **230**

Page

aut ad exercituum provinciarumque rectores, aut ad urbis magistratus, mittebat Augustus, prout quique admonitione indigerent.

---

231 1. Atticus nullas inimicitias gessit, quod neque lædebat quenquam, neque, si quam injuriam acceperat, malebat ulcisci quam oblivisci.—Eo perniciosius de republica merentur vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in civitatem: neque solum obsunt quod ipsi corrumpuntur, sed etiam quod plus exemplo quam peccato nocent.

---

2. Æris notam pretiosiorem ipsum Corinthi fecit incendium; quia incendio permistis plurimis statuis, æris, auri, argentique venæ in commune confluxerunt.—Quoniam tantum natura a natura distat, quid mirum est has dissimilitudines ex differentibus causis esse factas?—Catilina, furibundus, "Quoniam," inquit, "ab inimicis præceps agor, incendium meum ruina extinguam."—Hoc loco, Brutus, "Quandoquidem tu istos oratores," inquit, "tantopere laudas, vellem præter illum, sane exilem, libellum de ratione dicendi, plura Crasso libuisset scribere."

---

232 Princeps decima legio Cæsari gratias egit, quod de se optimum judicium fecisset, seque ad bellum gerendum paratissimam confirmavit.—Hoc in vobis maxime admirari soleo quod, quum inter vos in dicendo dissimillimi sitis, ita tamen uterque vestrum dicat, ut ei nihil neque a natura denegatum, neque a doctrina non delatum esse
233 videatur.—Odiis prope majoribus certarunt quam viribus: Romanis indignantibus, quod victoribus victi ultro inferrent arma; Pœnis, quod superbe avareque imperitatum esse victis crederent.

Quum Athenis Platonis Gorgiam cum Charmada diligentius legerem, in hoc maxime admirabar Platonem, quod mihi in irridendis oratoribus ipse esse orator summus videbatur.—Gaudeo quod te interpellavi, quandoquidem tam præclarum mihi dedisti judicii tui testimonium.—Dolebam, quod, morte Hortensii, non, ut plerique putabant, adversarium aut obtrectatorem laudum mearum, sed socium potius et consortem gloriosi laboris amiseram.—Gratulor tibi, quod te, de provincia decedentem, summa laus et summa gratia provinciæ prosecuta est.—Illud me sollicitat angitque vehementer, quod dierum jam amplius quinquaginta intervallo nihil a te, nihil a Cæsare, nihil ex istis locis non modo literarum sed ne rumoris quidem affluxit.

Page

Inter inanimum et animal hoc maxime interest, quod inanimum nihil agit, animal agit aliquid.—Quanta est benignitas naturæ quod tam multa, tam varia, tamque jucunda gignit!—Qui benigniores esse volunt, quam res patitur, primum in eo peccant, quod injuriosi sunt in proximos.—Magnum beneficium est naturæ, quod necesse est mori.—Hicetam non odio tyrannidis adversatum esse Dionysio sed cupiditate, indicio fuit quod ipse, expulso Dionysio, imperium dimittere noluit. 234

Hoc in hominum doctorum oratione mihi mirum videri solet, quod qui tranquillo mari gubernare se negent posse, quod nec didicerint nec unquam satis curaverint, iidem ad gubernacula se accessuros profiteantur, excitatis maximis fluctibus.—Quum ad has suspiciones certissimæ res accederent, quod per fines Sequanorum Helvetios perduxisset, quod a magistratu Æduorum accusaretur, satis esse causæ arbitrabatur Cæsar, quare in eum aut ipse animadverteret aut civitatem animadvertere juberet.—Semper Africanus Socraticum Xenophontem in manibus habebat, cujus in primis laudabat illud, quod diceret eosdem labores non esse æque graves imperatori et militi, quod ipse honos laborem leviorem faceret imperatorium. 235

Quamvis amem Pompeium nostrum, ut et facio et debeo, tamen hoc, quod talibus viris non subvenit, laudare non possum.—Non est 236 potestas ex tempore aut quum velis opitulandi reipublicæ, quamvis ea prematur periculis, nisi eo loco sis ut tibi id facere liceat.—Quamvis sit arca plena, dum te inanem videbo, divitem non putabo.—De acumine agitur Epicuri, non de moribus; quamvis spernat voluptates eas, quas modo laudavit, ego tamen meminero quod videatur ei summum bonum.

Veritas, licet nullum patronum aut defensorem obtineat, tamen per se ipsa defenditur.—Non est magnus pumilio, licet in monte constiterit: colossus magnitudinem suam servabit, etiamsi in puteo steterit.—Licet ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est.—Non possis, quantumvis licet excellas, omnes tuos ad honores amplissimos perducere.—Forsitan in suscipienda causa ejus temere impulsus adolescentia fecerim; quoniam quidem semel sus- 237 cepi, licet genera omnia in me impendeant terrorum, periculaque omnia, succurram et subibo.

Quis est iste qui se profiteatur omnibus legibus innocentem? Ut hoc ita sit, quam angusta innocentia est ad legem bonum esse!—

Page

Sunt qui putent, se nescio-quid præclarum adeptos esse, quod didicerint se, quum mortis tempus venisset, totos esse perituros: quod ut ita sit, quid habet ista res aut lætabile aut gloriosum?—Nihil mihi occurrit cur non Pythagoræ sit et Platonis vera sententia; et, ut rationem Plato nullam afferret (vide quid homini tribuam!), ipsa auctoritate me frangeret.

---

238 Agesilaus, ut naturam fautricem habuerat in tribuendis animi virtutibus, ita maleficam nactus est in corpore fingendo.—Obsessi, ut a præliis quietem habuerant, nec lacessentes nec lacessiti per aliquot dies, ita non nocte non die cessaverant ab opere.—Ut locus procul muro satis æquus agendis vineis fuit, ita haudquaquam prospere, postquam ad effectum operis ventum est, cœptis succedebat.

---

239 1. Concludunt ratiunculas Stoici cur dolor non sit malum; quasi de verbo, non de re, laboretur.—Sunt qui, quasi sua res aut honos agatur, ita diligenter Sexti Nævii studio et cupiditati morem gerant.—Sequitur caput, quod non permittit modo, sed plane quasi ea res vobis salutaris futura sit ita cogit atque imperat, ut decemviri vestra vectigalia vendant.—Fabius Marcum Atilium captum in Africa commemorat, tanquam Atilius primo accessu ad Africam offenderit.—Quid ego plura de Gavio, quasi tu Gavio tum fueris infestus, ac non nomini civium hostis?

---

2. Quidam idcirco Deum esse non putant, quia non apparet nec cernitur: proinde quasi nostram ipsam mentem videre possimus.—Faba Pythagorei abstinuerunt, quasi vero eo cibo mens infletur—Quum sic aggrediar ad hanc disputationem, quasi nihil unquam audierim de diis immortalibus, nihil cogitaverim, rudem me discipulum et integrum accipe.—Tu qui id quæris, quare de eo quod sit perspicuum et inter omnes constet, tam multa dixerim, similiter facis ac si me roges, cur te duobus contuear oculis, quum idem uno assequi possim.

---

240 Victor Duilius apud Liparas, per vitam omnem, ubi a cœna rediret, prælucere funalia et præcinere sibi tibias jussit, quasi quotidie triumpharet.—Augustus aliquem joco corripuit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanto stipem porrigeret.—Decursio exercitus non imago fuit pugnæ, sed tanquam de regno dimicaretur ita concurrerunt, multaque vulnera sudibus facta; neque præter ferrum quidquam defuit ad justam aciem.—Hicetas Syracusius præter terram nihil in mundo moveri censet; quæ quum cir-

Page

cum axem se summa celeritate torqueat, eadem effici omnia, quasi stante terra cœlum moveretur.

---

1. Egredere aliquando ex urbe; educ tecum omnes tuos, si minus, quam plurimos: magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus intersit.—Tu mihi, etiamsi nihil erit quod scribas, tamen id ipsum scribas velim, te nihil habuisse quod scriberes, dummodo ne his verbis.—Postulabant homines nobilissimi atque inte- **241**
gerrimi civitatis servos in quæstionem; postulabant autem pro homine, qui vel ipse se in cruciatum dare cuperet, dum de patris morte quæreretur.

---

2. Virtutis auspiciis usus est Deiotarus, quæ vetuit spectare fortunam dum præstetur fides.—Mediocritas placet Peripateticis, et recte placet modo ne laudarent iracundiam.—Manent ingenia senibus, modo permaneant studium et industria; nec ea solum in præclaris et honoratis viris, sed in vita etiam privata et quieta.—Si alium senatus ad ver mittit non laboro: nobis modo temporis ne quid prorogetur.

Ducentis annis ante quam Romam caperent, in Italiam Galli transcenderunt.—Aristides interfuit pugnæ navali apud Salamina, quæ facta est priusquam pœna exilii remitteretur.—Epaminondas **242**
quum in circulum venisset, in quo aut de republica disputaretur aut de philosophia sermo haberetur, nunquam inde prius discessit, quam ad finem sermo esset adductus.—Mithradates Datamen ferro transfixit, priusque quam quisquam posset succurrere, interfecit.—Priusquam certa cladis fama accideret, transgressus Iberum Hasdrubal, postquam amissa castra accepit, iter ad mare convertit.

Ante implicatur quisque aliquo genere vivendi quam potuit quod optimum esset judicare.—Antequam de incommodis Siciliæ dico, pauca mihi videntur esse de provinciæ dignitate dicenda.—Membris utimur priusquam didicimus cujus ea utilitatis causa habeamus.—Priusquam de cæteris rebus respondeo, de amicitia quam a me violatam esse criminatus est, quod ego gravissimum crimen judico, pauca dicam.—Non prius sum conatus misericordiam aliis commovere quam misericordia ipse sum captus.

In omnibus negotiis priusquam aggrediaris adhibenda est præparatio diligens.—Da operam, si ulla ratione etiam nunc efficere potes, ut te explices, et huc quam primum venias, antequam omnes copiæ **243**

Page

adversariorum conveniant.—Cæsar milites navibus flumen transportat, continentemque ripæ collem improviso occupat, et priusquam ab adversariis sentiatur communit.—Nihil, Patres Conscripti, neque in Italia neque in Africa gesseritis, priusquam eorum scelus expietis, qui suas sacrilegas manus intactis Proserpinæ thesauris admoverint.—Amicumne condemnas antequam audias, antequam interroges? Illi antequam aut accusatorem suum nosse liceat aut crimen irasceris?

---

244 Dum inter primores promtius dimicat Alexander sagitta ictus est.—Si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, libenter erro, nec mihi hunc errorem quo delector, dum vivo, extorqueri volo.—Fabius, consul iterum, Flaminio, tribuno plebis, quoad potuit, restitit, agrum Picentem viritim dividenti.—Quamdiu imperium populi Romani beneficiis tenebatur, non injuriis, exitus bellorum erant mites.—Tamdiu fient judicia, quamdiu erit civitas.

Julius Cæsar exanimis aliquamdiu jacebat, donec lecticæ impositum tres servuli domum retulerunt.—Tarquinii tamdiu dimicaverunt, donec Aruntem, filium regis, manu sua, Brutus occidit.—Inde continuis diebus aliquot Romanus ita institit portis, ut prope inferre signa videretur; donec Hannibal, tertia vigilia profectus, Apuliam petere intendit.

---

1. Insequenti nocte Fabius equites præmittit, sic paratos ut confligerent atque omne agmen morarentur, dum consequeretur ipse.—
245 De Terentia et Tullia tibi assentior ad te ut referrent: si nondum profectæ sunt, nihil est quod se moveant, quoad perspiciamus quo loci sit res.—Calpurnius Flamma, tribunus militum, cum lecta trecentorum manu, insessum ab hostibus tumulum occupavit; adeoque moratus est eos, dum exercitus omnis evaderet.

---

2. In duos menses induciæ factæ sunt donec Romam mitterentur legati.—Augustus rectorem solitus est apponere regibus ætate parvis ac mente lapsis, donec adolescerent aut resipiscerent.—Rogandi aut orandi sunt iracundi, ut si quam habent ulciscendi vim, differant dum defervescat ira.—Quid vultis amplius? num expectatis, dum Metellus de istius scelere testimonium dicat?

---

246 Neque dum Hannibal in Italia moratur, neque proximis post excessum ejus annis vacavit Romanis colonias condere.—Bibulus, collega Cæsaris, quum actiones ejus magis vellet impedire quam pos-

Page

set, domi se tenuit: quo facto, dum augere vult invidiam collegæ, auxit potentiam.—Hostes, dum se putant vincere, fortius sequi; Pompeiani, dum fugere credunt suos, fugere cœperunt.—Zosimus libertus meus ante aliquot annos, dum intente instanterque pronuntiat, sanguinem rejecit.

Quum ea quæ præterierunt acri animo et attento intuemur, tunc fit ut ægritudo sequatur si illa mala sint, lætitia si bona.—Quum 247
præcipitur ut nobismet ipsis imperemus, tum hoc præcipitur, ut ratio coerceat temeritatem.—Vixit quum Sicilia florebat opibus.—Quum secure navigare potero, navigabo.—Quæris cur me Laurentinum (prædium) meum tantopere delectet; desines mirari, quum cognoveris opportunitatem loci.—Quum quæritur quid fieri possit, videndum est etiam quam facile fieri possit.

Quum aliquid videbatur caveri posse, tum id negligi dolebam.—Quum Opimii causam defendebat apud populum Carbo consul, nihil de Gracchi nece negabat.—Quum sontes ferro depugnabant, nulla poterat oculis esse fortior contra dolorem et mortem disciplina.—Non eram nescius, quum hæc scribebam, quantis rerum oneribus premereris.—Gyges, quum palam annuli suam ad palmam converterat, a nullo videbatur; ipse autem omnia videbat; idem rursus vi- 248
debatur, quum in locum annulum inverterat.

Pausanias, quum semianimis de templo elatus esset, confestim animam efflavit.—Hortensius, quum admodum juvenis orsus esset in foro dicere, celeriter ad majores causas adhiberi cœptus est.—Hæc quum moliretur Alcibiades, Critias cæterique tyranni Atheniensium certos homines ad Lysandrum in Asiam miserunt.—Regio apparatu accepti, sermonem in mediam noctem produximus, quum senex nihil nisi de Africano loqueretur, omniaque ejus non facta solum sed etiam dicta meminisset?—Quum Darium, ubicunque esset, occupare statuisset Alexander, ut a tergo tuta relinqueret, Amphoterum classi ad oram Hellesponti præfecit.—Quum speculatores reverterentur, procul ingens multitudo conspecta est: ignes deinde totis campis conlucere cœperunt, quum incondita multitudo laxius tenderet.

Numa major vir habendus est, quum illam sapientiam constituen- 249
dæ civitatis duobus prope sæculis ante cognovit, quam eam Græci natam esse senserunt.—Bene facitis quum venitis, sed rectius fecissetis si ad me domum recta abiissetis.—Præclare facis quum et

Page

Cæpionis et Luculli memoriam tenes.—Gratias tibi ago, (primum) quum tantum literæ meæ apud te potuerunt.—Gratissimum mihi fecisti, quum Tironem, indignum illa fortuna, nobis amicum quam servum esse maluisti.

Biennium an triennium est, quum virtuti nuntium remisisti, delenitus illecebris voluptatis?—Apud Græcos quidem jam anni prope quadringenti sunt, quum hoc probatur; nos nuper agnovimus.—Fabium quod mihi amicum tua commendatione das, nullum in eo
250 facio quæstum: multi enim anni sunt, quum ille in meo ære est, et diligitur a me propter summam humanitatem et observantiam.

Quum omnibus virtutibus, judices, me affectum esse cupiam, tamen nihil est quod malim quam me et gratum esse et videri.—Eumenem Antigonus, quum esset ei infestissimus, conservasset, si per suos esset licitum.—Quum sint in nobis consilium, ratio, prudentia, necesse est Deum hæc ipsa habere majora.—Socratis ingenium variosque sermones immortalitati scriptis suis Plato tradidit, quum ipse literam Socrates nullam reliquisset.—Ingens numerus erat bello Punico captorum, quos Hannibal, quum a suis non redimerentur, venum dederat.—Quum ego, tantò intervallo, claustra illa nobilitatis refregissem, non arbitrabar de generis novitate accusatores esse dicturos.

---

251 Perge quo cœpisti; egredere ex urbe. Patent portæ, proficiscere. —De ipsis Syracusanis hoc cognoscite.—Patres Conscripti, subvenite misero mihi, ite obviam injuriæ.—Cœlestia semper specta, humana contemne.—Si de me ipso plura dicere videar, ignoscite.—Ignosce sæpe alteri, nunquam tibi.—Ad divos adeunto caste, pietatem adhibento.—Amicitia regi Antiocho cum populo Romano esto. —Excedito urbibus, agris, vicis, castellis, cis Taurum montem.—Ne qua arma efferto ex iis oppidis, quibus excedat; si qua extulerit, recte restituat.—Regio imperio duo sunto, iique consules appellantor. Nemini parento, illis salus populi suprema lex esto.

---

252 Me posthac ne commendaveris Cæsari; ne te quidem, si me audies.—Ne invideris fratri tuo; quiescit, tandem liber, tandem tutus, tandem immortalis.—Ne commiseris ut quisquis modo scripta tua mirabatur, quærat quomodo tam grandia tamque solida animus tam fragilis conceperit.—Planco et Oppio scripsi equidem, quoniam rogaveras; sed si tibi videbitur, ne necesse habueris epistolam reddere; quum enim tua causa fecerint omnia, vereor ne (meas literas) supervacaneas arbitrentur.

Page

Noli putare pigritia me facere, quod non mea manu ad te scribam.— 253
Noli spectare quanti homo sit.—Noli, Lupe, ex taciturnitate nostra, quid aut probemus aut improbemus judicare.—Novum procemium academicorum (librorum) exaravi; tibique misi; tu illud desecabis, hoc agglutinabis.—Piliam Atticamque salutabis.—Puero hoc dabis si tibi videbitur.

Non referre beneficiis gratias et est turpe et apud omnes habetur;
parentes suos non amare impium est.—Rari sunt casus, etiamsi 254
graves, naufragium facere, vehiculo everti, ab homine homini periculum quotidianum.—Turpe est aliud loqui, aliud sentire; quanto turpius aliud scribere, aliud sentire!—Nihil est aliud pulchre et oratorie dicere, nisi optimis sententiis verbisque lectissimis dicere.

Contentum suis rebus esse, maximæ sunt divitiæ.—Semper est utile virum bonum esse, quia semper est honestum.—Pulchrum dignumque patriæ, liberis, amicis, civibus, volentem providentemque
prodire defensorem.—Maximus est quæstus memorem gratumque 255
cognosci, simulque aperire, se non fortunæ sed hominibus solere esse amicum.

Intra duodecim (ferme) annos, consules fuerunt Metelli, aut censores, aut triumpharunt amplius duodecim; ut appareat gentium fortunam nunc florere, nunc senescere, nunc interire.—Convenit inter omnes nec libertatem Modesto deberi, quia non sit data; nec legatum, quia servo suo Sabina dederit. — Credibile est hominum causa factum esse mundum, quæque in eo sint omnia.—Verum est amicitiam, nisi inter bonos, esse non posse.

---

1. Socratem querenti cuidam, quod nihil sibi peregrinationes pro- 256
fuissent respondisse ferunt, "Non immerito hoc tibi evenit, tecum enim peregrinabaris."—Myndaridem aiunt fuisse, ex Sybaritarum civitate; qui quum vidisset fodientem, et altius rastrum allevantem, lassum se fieri questus est, vetuitque eum illud opus in conspectu suo facere.—Quum censeret Cicero remissione (et moderatione) vocis, et commutato genere dicendi, se et periculum vitare posse et temperatius dicere, quum jam esset biennium versatus in causis, in Asiam est profectus.

---

2. Hesiodus negat oleæ satorem fructum ex ea percepisse quen-
quam, tam tarda tunc res erat.—Legis interpretes, quo capite jube- 257
mur sumtus in funeribus removere, hoc intelligunt in primis sepul-

Page

chrorum magnificentiam esse minuendam.—Finge aliquem nunc fieri sapientem, nondum esse ; quam potissimum eliget disciplinam? —Sentit animus se sua vi, non aliena, moveri.—Non utile nobis arbitror esse futurarum rerum scientiam.

Video Philippum, Macedonum regem, rebus gestis et gloria a filio superatum esse.—Clitarchus sæpe narrabat, Darium ab Alexandro, apud Issum, devictum esse.—Aio, a te, Æacida, Romanos vinci posse.—Audivi a Demea interfectum esse Chremeta.—Romulus,
258 quum exercitum lustraret, inter tempestatem ortam repente oculis hominum subductus est. Hinc alii eum a senatoribus interfectum esse, alii ad deos sublatum existimaverunt.

Polliceor hoc me esse perfecturum, ut jam tandem illi qui honori inviderunt meo, tamen vos in consule deligendo plurimum vidisse
259 fateantur.—Contestans omnes deos, promitto atque confirmo me pro tua dignitate in hac provincia, cui tu præfuisti, omnia suscepturum officia atque partes.—Me circa Idus Octobres spero Romæ futurum, eademque hæc præsentem Gallo confirmaturum.—Gaudes quod me venturum esse polliceor.—Promisi scripturum me tibi, quem habuisset eventum postulatio Nepotis.—Ego Arpini esse volo pridie Kalendas, deinde circum villulas nostras errare, quas visurum me postea despero.

Postquam in ædes irruperant, diversi regem quærere ; dormientes alios, alios occursantes, interficere ; scrutari loca abdita ; clausa effringere ; strepitu et tumultu omnia miscere.—Ingenium ejus haud absurdum ; posse versus facere, jocum movere.—Rex primo
260 nihil metuere, nihil suspicari.—Hostes, subito clamore, sagittis lapidibusque nostros de vallis deturbare.—Hic judices ridere, stomachari patronus.

Adeone esse hominem infelicem quemquam?—Tunc te potissimum istas partes depoposcisse!—O spectaculum miserum! ludibrio esse urbis gloriam!—Hui! totiesne me literas dedisse Romam cum ad te nullas darem?—Jus Laodiceæ me dicere, cum Romæ Plotius dicat?—Hominemne Romanum tam Græce loqui?

---

261 1. Si omnia fecit ut sanaret, peregit medicus partes suas.—Sol efficit ut omnia floreant, et (in suo quæque genere) pubescant.—Ante senectutem curavi ut bene viverem ; in senectute, ut bene moriar. —Scite Chrysippus, ut multa, Qui stadium, inquit, currit eniti et

Page

contendere debet quam maxime possit, ut vincat; supplantare eum quicum certet nullo modo debet.

---

2. Nunquam fere parens potest animum inducere, ut naturam ipsam vincat, ut amorem in liberos ejiciat ex animo.—Omne animal se ipsum diligit, ac simul ut ortum sit id agit ut se conservet.—Videndum est igitur ut ea liberalitate utamur, quæ prosit amicis, obsit nemini.—Si statim navigabis, me Leucade consequeris; sin te confirmare voles, navem idoneam ut habeas videbis.

---

1. Discipulos moneo ut præceptores suos non minus quam ipsa **262**
studia ament, et parentes esse, non quidem corporum, sed mentium credant.—Magnopere te hortor, ut non solum orationes meas, sed hos etiam de philosophia libros diligentes legas.—Natura impellit ut hominum cœtus studeat parare ea quæ suppeditent ad cultum et ad victum.—Si non ipsa honestate movemur, ut boni viri simus, sed utilitate aliqua ac fructu, callidi sumus, non boni.

---

2. Pompeium monere et hortari non destitimus, ut magnam hanc infamiam fugiat; sed plane nec precibus nostris nec admonitionibus reliquit locum.—Librum proxime scripsi de optimo genere di-
cendi, quem velim tui ut describant, et ad te mittant.—Quum Athe- **263**
nienses Delphos misissent consultum, quidnam facerent de rebus suis, Pythia respondit, ut mœnibus ligneis se munirent.

Hoc tantum moneo, hoc tempus si amiseris, te amicitiæ confirmandæ clarissimi atque munificentissimi viri nullum unquam magis idoneum reperturum esse.—Regis provincias vexando, castella expugnando, magnas prædas capiendo, Mithradates Datami persuasit, se infinitum adversus regem suscepisse bellum.—Quod literis extet
proditum, Pherecydes Syrius primus dixit animos hominum esse **264**
sempiternos.—Cæsar ab haruspice monitus est ne in Africam transmittatur.—Centurionem deligit, qui regi nuntiet, ne armis disceptent.—Dicam, ut aliam conditionem filio inveniat suo.

Cæsar Trebonio magnopere mandaverat, ne per vim oppidum expugnari pateretur.—Mandat Cæsar Voluseno, uti, exploratis omnibus, ad se quam primum revertatur.—Hoc ei quem instituo primum præcipiam, quascunque causas erit acturus ut eas diligenter penitusque cognoscat.—Edicere est ausus Piso cum illo suo pari, quem tamen omnibus vitiis superare cupiebat, ut senatus ad vestitum rediret.

Page
265 Pestilentia civitatem adorta coegit senatum imperare decemviris ut libros Sibyllinos inspicerent.—Hannibal statim imperavit quam plurimas venenatas serpentes vivas colligi, easque in vasa fictilia conjici.—Dictator, equo circumvectus, contemplatusque quæ castrorum forma esset, tribunis militum imperavit ut sarcinas in unum locum conjici juberent.

Forte sepulchrum Cyri Alexander jussit aperiri, in quo erat conditum ejus corpus, cui dare volebat inferias.—Lycurgus Lacedæmonias virgines sine dote nubere jussit, ut uxores eligerentur a viris, non pecuniæ.—Augustus carmina Virgilii cremari, contra testamenti ejus verecundiam, vetuit.—Tu, quum me incognito assentiri vetas, tantum tibi arrogas ut naturam rerum omnium evolvas, mores fingas, fines bonorum malorumque constituas, quam vitam ingrediar definias?

---

266 1. Fit, nescio quomodo, ut magis in aliis cernamus quam in nobismet ipsis si quid delinquitur.—Fieri potest ut recte quis sentiat, et id quod sentiat polite eloqui non possit.—Plerisque accidit, ut præsidio literarum diligentiam in perdiscendo remittant.—Soli hoc contingit sapienti, ut nihil faciat invitus.

---

2. Persæpe evenit ut utilitas cum honestate certet.—Memoria patrum usuvenit, ut paterfamilias, qui ex Hispania Romam venisset, quum uxorem in provincia reliquisset, Romæ alteram duceret neque nuntium priori remitteret.—In poematis et picturis usuvenit in aliisque compluribus, ut delectentur imperiti laudentque ea quæ laudanda non sint.

---

1. Optimum est ut quotidie dicamus audientibus pluribus, maxime
267 de quorum simus judicio maxime soliciti; rarum est enim ut satis se quisquam vereatur.—Ut fortuna multa tentanti non ubique respondet, sequitur ut is, cui contra quam proposuerat aliqua cesserint, impatiens hominum rerumque sit.—Quum et tu a me plurimi fias et ego tibi sim carissimus, restat ut officiis certemus inter nos.

---

2. Qui antea aut obscuris hominibus aut etiam sontibus opitulari poteram, nunc Nigidio, uni omnium doctissimo et sanctissimo, auxilium polliceri non possum. Reliquum est igitur ut te consoler, et afferam rationes quibus te a molestiis coner abducere.—Extremum illud est ut te orem et obsecrem animo ut maximo sis, nec ea solum memineris, quæ ab aliis magnis viris accepisti, sed illa etiam quæ

Page

ipse ingenio studioque peperisti.—Caput est oratoris ut illis apud quos agit talis qualem se ipse optat videatur.

Illi qui Græciæ formas rerumpublicarum dederunt, corpora juvenum firmari labore voluerunt.—Quum aliquem apud te laudavero tuorum familiarium, volam illum scire me id fecisse.—Volo uti mihi respondeas, numquis ex toto collegio legem sit ausus ferre præter unum te.—Nunquam ego a diis immortalibus optabo, Quirites, invidiæ meæ levandæ causa, ut Lucium Catilinam ducere exercitum hostium audiatis; sed triduo tamen audietis.—Optabat Caligula ut populus Romanus unam cervicem haberet.—Natura non patitur ut aliorum spoliis facultates nostras augeamus.—Augustus *dominum* se appellari ne a liberis quidem aut nepotibus suis passus est. 268

---

1. Extant epistolæ Ciceronis ad Quintum fratrem, eodem tempore parum secunda fama proconsulatum Asiæ administrantem, quibus eum hortatur et monet, imitetur in promerendis sociis vicinum suum Octavium.—Quum Locrenses, ex templo quod extra urbem erat pecuniam in urbem transferre vellent, noctu audita delubro vox est, "Abstinerent manus; deam sua templa defensuram."—Habes quid Cotta, quid pontifex sentiat; fac ergo nunc intelligam tu quid sentias. 269

---

2. Fac valeas, meque mutuo diligas, dignitatemque meam si mereor tuearis.—Malo te sapiens hostis metuat, quam stulti cives laudent.—Cæsar Labieno mandat, Remos reliquosque Belgas adeat, atque in officio contineat.—Illud cave dubites quin ego omnia faciam, quæ interesse tua aut etiam velle te existimem, si ullo modo facere possim.—Cave existimes me, quod jocosius scribam, abjecisse curam reipublicæ.—Me ipsum non mea ames oportet, si veri amici futuri sumus.—Quidquid oritur qualecunque est, causam habeat a natura necesse est.

Nemo, cunctam intuens terram, de divina providentia dubitabit. 270
—Alexandri, vix ingressi flumen, subito horrere artus et rigere cœperunt.—Rex epistolam Parmenionis Philippum legere jubet, nec a vultu legentis movit oculos.—Alexander quam regionem Darius petisset, omni cura vestigans, tamen explorare non poterat.—Lectica, qua vehebatur Tiberius, vepribus impedita, exploratorem viæ, primarum cohortium centurionem, stratum humi, pæne ad necem verberavit.—Omnia nos desiderata magis quam assidue percepta delectant.

Page
271 1 Quis putet celeritatem ingenii L. Bruto defuisse, qui de matre
suavianda ex oraculo Apollinis, tam acute conjecerit?—Lacedæmo-
niis nulla res tanto fuit damno, quam disciplina Lycurgi sublata.—
Ad Prusiam legatus Quinctius Flaminius venit, quem suspectum
Romanis et receptus Hannibal, et bellum adversus Eumenem motum
reddiderant.—Non caruerunt suspicione oppressi Ciceronis Cæsar
et Pompeius.

---

2. Conscientia bene actæ vitæ multorumque benefactorum recor-
datio jucundissima est.—Sunt quinque libri Tusculanarum disputa-
272 tionum, quorum primus est de contemnenda morte; secundus de
tolerando dolore; de ægritudine lenienda tertius.—Fuit fama vene-
num sumsisse Themistoclem, quum se quæ Xerxi de opprimenda
Græcia pollicitus esset præstare posse desperaret.

---

3. Aratus Sicyonius ad Ptolemæum venit, qui tum regnabat, alter post Alexandream conditam, petivitque pecuniam ut patriam liberaret.—Major ex civibus amissis dolor, quam lætitia fusis hostibus, fuit.—Conon plus tristitiæ ex incensa et diruta a Lacedæmoniis patria, quam lætitiæ ex recuperata, cepit.—Regnatum est Romæ, ab condita urbe ad liberatam, annos ducentos quadraginta quatuor.—Anno fere octogesimo post Trojam captam Pelopis progenies ab Heraclidis expellitur.

Cato mortuus est annis C. octoginta tribus ipsis, ante Ciceronem
consulem.—Vixerat Curius cum Decio qui, quinquennio ante eum
273 consulem, se pro republica devoverat.—Affixa tabula est, qua sta-
tuitur, ne, post M. Brutum proconsulem, sit Creta provincia.—Anno
ante Catonem censorem mortuus est Scipio.

Alexander milites a populatione Asiæ prohibuit, non perdenda ea
esse præfatus, quæ possessuri venerint.—Rex Hephæstionem in re-
gionem Bactrianam misit, commeatus in hiemem paraturum.—Tris-
te est quod in flore primo tantæ indolis juvenis extinctus est, sum-
274 ma consecuturus si virtutes ejus maturuissent.—Stultus est qui
equum emturus non ipsum inspicit, sed stratum ejus ac frænos.—
Arsanes igni ferroque Ciliciam vastat, ut hosti solitudinem faciat;
quidquid hosti usui esse potest corrumpit, sterile ac nudum solum
quod tueri nequibat relicturus.

---

1. Maximas virtutes jacere omnes necesse est, voluptate dominante.—Pompeius, captis Hierosolymis, ex illo fano nihil attigit.—

Page

Anno trecentesimo altero quam condita Roma erat, iterum mutatur forma civitatis, ab consulibus ad decemviros translato imperio.—Maximus terræ exstitit motus Tiberii Cæsaris principatu, duode- 275
cim urbibus Asiæ una nocte prostratis.

---

2. Concessa plebi a patribus tribunitia potestate, arma ceciderunt, restincta est seditio, et inventum est temperamentum in quo uno fuit civitatis salus.—Æschinem aiunt, petentibus Rhodiis, legisse orationem suam, deinde Demosthenis, summis utramque clamoribus.—Tribus hastis jugum fit, humi fixis duabus superque eas transversa una deligata.—Democritus luminibus amissis alba et atra discernere non poterat, at vero bona, mala; æqua, iniqua; honesta, turpia; utilia, inutilia poterat.

---

1. Eclipses non ubique cernuntur, aliquando propter nubila, sæ- 276
pius globo terræ obstante.—Romani veteres regnari omnes volebant, libertatis dulcedine nondum experta.—Concitato navigio, quum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipsa navis motum et cursum suum, intermisso impetu pulsuque remorum.

---

2. Hoc non modo non laudari, sed ne concedi quidem potest, ut amicis nostris accusantibus non etiam alienissimos defendamus.—C. Flaminium Cælius, religione neglecta, cecidisse apud Trasymenum scribit, cum magno reipublicæ vulnere.—Hæc eo pertinet oratio, ut, perditis rebus omnibus, tamen ipsa virtus se sustentare posse videatur.—Scipio, duabus urbibus eversis, non modo præsentia verum etiam futura bella delevit.

---

1. Natura et Virtute ducibus errari nullo modo potest.—Pausania 277
duce Mardonius cum ducentis millibus peditum, et viginti millibus equitum Græcia fugatus est.—Ampla domus dedecori domino sæpe fit, si hospitibus caret, et maxime, si aliquando, alio domino, est solita frequentari.—Est jusjurandum religiosa affirmatio; quod igitur, Deo teste, promiseris id tenendum est.

---

2. Sapientia est una quæ mœstitiam pellat ex animis, quæ nos exhorrescere metu non sinat, qua præceptrice in tranquillitate vivi potest.—Natus est Augustus, Cicerone et Antonio consulibus, nono Kalendas Octobres, paullo ante solis exortum.—Primus omnium
Thales Milesius prædixit solis defectum, qui Alyatte rege factus est. 278
—Exstat Galbæ peroratio, quæ tanto in honore pueris nobis erat, ut eam etiam edisceremus.

Page

3. Caninio consule scito neminem prandisse, nihil eo consule mali factum esse.—Brutus collegam sibi creavit Valerium, quo adjutore reges ejecerat.—Pater meus Hamilcar, puerulo me, utpote non amplius novem annos nato, in Hispaniam imperator profectus est.—Sæpe Augustus in occidentem atque orientem meavit, comite Livia.—Lentulus (consularis et prætor iterum), Cethegus, et alii clari nominis viri, auctore senatu, in carcere necati sunt.—Exstitit jam senibus Gorgia, Protagora, cæterisque, quos paullo ante dixi, Isocrates.

---

1. Mira fulminis opera ; loculis integris, conflatur argentum ; manente vagina gladius liquescit.—Iis invitis a quibus Pharos tenetur, non possunt naves intrare in Portum Alexandreæ.—Ægros scimus
279 nervos esse, ubi invitis nobis moventur.—Tiberii Gracchi liberi, P. Scipionis Africani nepotes, viva adhuc matre Cornelia, Africani filia, vitæ habuerunt exitum.

---

2. Alia causa est ejus qui calamitate premitur, et ejus qui res meliores quærit nullis suis rebus adversis.—Decedens Macedonia Octavius, priusquam profiteri se candidatum consulatus posset, mortem obiit repentinam, superstitibus Octavia majore, et Octavia minore, itemque Augusto.—Mithradates bella cum Romanis per quadraginta quatuor annos varia victoria gessit.—Solis defectum non nisi novissima fieri Luna, Lunæ autem non nisi plenæ, certum est.

---

1. Alii dictum factumque Octaviani criminantur, quasi classibus tempestate perditis, exclamaverit ; etiam invito Neptuno victoriam
280 se adepturum esse.—Tiberii pater solus Antonii in partibus permansit, ac primo Præneste, deinde Neapolim evasit, servisque frustra ad pileum vocatis, in Siciliam profugit.—Seneca scribit Tiberium, subito vocatis ministris ac nemine respondente, consurrexisse, nec procul a lectulo deficientibus viribus concidisse.

---

2. Vibium Virrium septem et viginti ferme senatores domum secuti sunt, epulatique cum eo ; et quantum facere potuerant alienatis mentibus vino ab imminentis mali sensu, venenum omnes sumserunt.—Medici, causa morbi inventa, remedium esse inventum putant.—Darius, nuntio de adversa valetudine Alexandri accepto, maxima celeritate ad Euphratem contendit.—Theopompus Lacedæmonius, permutato cum uxore habitu, e custodia ut mulier evasit.

Fabius, quum a quingentis passibus castra posuisset, qua

Page

parte maxime neglectam custodiam vidit ea potissimum Arpos adgredi statuit.—Pugnatum primo in tenebris angustisque viis est, quum Romani non vias tantum sed tecta etiam proxima portæ occupassent, ne peti superne ac vulnerari possent.—Quum nihil legati, quod satis maturam causam belli haberet, retulissent, Atilius prætor **281**
cum classe missus est in Græciam, ad socios tuendos.—Virgini Vestali, descendenti in subterraneum cubiculum, quum hæsisset stola, vertit se ac recollegit, quumque ei carnufex manum daret, aversata est et resiluit.—Scipio, calceis et vestimentis sumtis, e cubiculo est egressus, et quum paululum inambulavisset in porticu, Lælium advenientem salutavit.

---

1. Lex est ratio summa, insita in natura, quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria.—Omnis respublica consilio quodam regenda est, ut diuturna sit; id autem consilium aut uni tri- **282**
buendum est, aut delectis quibusdam, aut suscipiendum est multitudini atque omnibus.—Multi scriptores, de Iliacis dicentes Myrmidonum regionem Thessaliam vocant; Tragici frequentius id faciunt; quibus minime id concedendum.

---

2. Eadem in senatu sed minore apparatu agenda; multis enim aliis relinquendus dicendi locus, vitanda etiam ingenii ostentationis suspicio.—Esse præstantem aliquam æternamque naturam, et eam suspiciendam admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi ordoque rerum cœlestium cogit confiteri.—Res gestæ Romanorum neque cum Græcis, neque ulla cum gente sunt conferendæ.—Non mihi videtur, quod hi venerunt, alius nobis sermo esse quærendus, sed dicendum dignum aliquid horum auribus.

Imminebant Seleucus, Lysimachus, Ptolemæus, opibus jam valentes, cum quibus Eumeni erat dimicandum.—Diu mihi quærendus fuisset Aruleno Rustico gener nisi paratus et quasi provisus esset Minucius Acilianus.—Sermone Græco Tiberius, maximeque in se- **283**
natu, abstinuit; adeo quidem ut *monopolium* nominaturus prius veniam postulavit, quod sibi verbo peregrino utendum esset.—Quomodo fieri potuit ut Lacedæmon tum bonis uteretur justisque regibus, quum esset habendus rex quicumque genere regio natus esset? —Magis id miserum, consumi senectute quam eam vitam, quæ tamen esset reddenda, pro patria potissimum reddere.

Si Galli bellum facere conabuntur, excitandus nobis erit ab inferis Marius.—Gravissimo Spurinnæ vulneri qui filium amisit absens,

Page

magno aliquo fomento medendum erit.—Quum studia juvenis extra paternum limen proferenda sunt, jam circumspiciendus erit rhetor Latinus, cujus scholæ severitas castitasque constet.—Altius ibunt qui ad summa nituntur, quam qui desperatione quo velint evadendi, protinus circa ima substiterint. Quo magis impetranda erit venia, si ne minora quidem præteribo.

---

284 Ædem in Capitolio Jovi, Optimo Maximo, bello Sabino faciendam vovit Tarquinius.—Epistolam meam pervulgatam esse non moleste fero, quin etiam ipse multis dedi describendam.—Quo facilius urbs adiretur, Augustus triumphalibus viris ex manubiali pecunia vias sternendas distribuit.—Mummius tam rudis fuit, ut, capta Corintho, quum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, si eas perdidissent novas reddituros.

---

285 Oratori quid deceat videndum est, non in sententiis solum, sed etiam in verbis.—Juvenibus parandum, senibus utendum est.—Pythagoræ discipulis quinque annos tacendum erat.—Aut negandum
286 est Deum esse, aut qui Deum esse concedant, iis fatendum est eum aliquid facere.—Nemo unquam haruspicem consuluit, quemadmodum sit cum parentibus, cum liberis, cum amicis vivendum.—Si Deiotarus ex itinere non revertisset, in eo conclavi ei cubandum fuisset, quod proxima nocte corruit.—Imbecillo Cæsari resistendum fuit. —Suum cuique judicium utendum est.—Per angustias nobis ad urbem penetrandum est.

Avari homines non solum libidine augendi cruciantur, sed etiam amittendi metu.—Parsimonia est scientia vitandi sumtus supervacuos, aut ars re familiari moderate utendi.—Ut quisque optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem pertimescit.—Germani agri culturæ non student, neque quisquam agri modum certum aut fines proprios
287 habet ; ne studium belli gerendi agricultura commutent.—Magna pars Babyloniorum constiterat in muris, avida cognoscendi Alexandrum. — Consuetudo exercitatioque et intelligendi prudentiam acuit, et eloquendi celeritatem incitat.

Romulum et Remum cupido cepit in iis locis, ubi expositi atque educati erant, urbis condendæ.—Hannibal opinionem de se auxit, conatu tam audaci trajiciendarum Alpium.—Omnia judicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa reperta sunt.—Aut voluptates omittunter majorum voluptatum adipis-

Page

cendarum causa, aut dolores suscipiuntur majorum dolorum effugiendorum causa.—Sustinendi muneris propter imbecillitatem difficultas minime cadit in majestatem Dei.—Non negatur Demosthenem summam vim habuisse dicendi, sed constat quoque eum Platonis studiosum audiendi fuisse.—Pacis inter cives conciliandæ te cupidum esse lætor.

Rubens ferrum non est habile tundendo.—Charta emporetica in- **288**
utilis est scribendo.—Hæc aqua est utilis bibendo.—Quis est tam idoneus currendo quam ego?—Nullum semen ultra quadrimatum utile est serendo.

Lignum aridum materia est idonea eliciendis ignibus.—Ver tanquam adolescentiam significat, futurosque fructus ostendit; reliqua tempora demetendis fructibus et percipiendis accommodata sunt.—Sunt nonnulli acuendis puerorum ingeniis non inutiles lusus.—Cleanthes aquam hausit et rigando hortulo locavit manus.—Magna vis saxorum ad manum erat, Tyro vetere præbente; materies ex Libano monte, ratibus et turribus faciendis, vehebatur.—Galli Transal- **289**
pini, haud procul inde ubi nunc Aquileia est, locum oppido condendo ceperunt.

Non solum ad discendum propensi sumus, sed etiam ad docendum.—Bene sentire, recteque facere satis est ad bene beateque vivendum.—Ut ad arandum bos, ad indagandum canis, sic homo ad duas res, ad intelligendum et agendum natus est.—Reprehendebatur Cæsar, quod inter spectandum epistolis libellisque legendis aut rescribendis vacaret.—Quanto maturior olivæ bacca, tanto pinguior succus, minusque gratus; optima autem ætas ad decerpendum, incipiente bacca nigrescere.—Alexander, accepto poculo, epistolam medico tradidit, atque ita inter bibendum oculos in vultum legentis intendit.

Qui se ipse norit, aliquid sentiet se habere divinum, intelligetque quanta instrumenta habeat ad adipiscendam sapientiam.—Pythagoras Babylona ad perdiscendos siderum motus originemque mundi **290**
profectus est: inde Cretam et Lacedæmona, ad cognoscendas Minois et Lycurgi leges, contendit.—Palpebræ, quæ sunt tegmenta oculorum, mollissimæ tactu, aptissime factæ et ad claudendos pupulos ne quid incideret, et ad aperiendos.—Nemo ad dandam veniam difficilior est, quam qui illam petere sæpius meruit.—Ad connectendas amicitias vel tenacissimum vinculum est morum similitudo.

Page

Paulatim recipiendo in civitatem socios Italicos, qui arma aut non ceperant aut cito deposuerant, vires civitatis refectæ sunt.—Equidem puto virtutem hominibus instituendo et persuadendo non minis et vi ac metu tradi.—Socrates percunctando atque interrogando elicere solebat eorum opiniones quibuscum disserebat.—Lycurgi leges erudiunt juventutem venando, currendo, esuriendo, si-
291 tiendo, algendo, et æstuando.—Nihil agendo homines male agere discunt.

Convenit quum in dando munificum esse, tum in exigendo non acerbum.—Prohibenda maxime est ira in puniendo.—Non potest exercitum is continere imperator, qui se ipsum non continet, neque severus esse in judicando, qui alios in se severos esse judices non vult.—Nullum est tantum malum quod non putem impendere: sed quum plus in metuendo mali sit quam in ipso illo quod timetur, desino.—Nec Aristotelem in philosophia deterruit a scribendo amplitudo Platonis, nec ipse Aristoteles, admirabili quadam scientia et copia cæterorum studia restinxit.

In voluptate spernenda ac repudianda virtus vel maxime cernitur.—Exercendum corpus est, ut obedire rationi possit, in consequendis negotiis et in labore tolerando.—Difficilis res, ac multum et sæpe quæsita, suffragia, in magistratu mandando, aut reo judicando, aut lege sciscenda, clam an palam ferre melius esset.—Multi
292 in equis parandis adhibent curam, in amicis eligendis negligentes sunt.—Sancitum est jure civili, ut in prædiis vendendis vitia dicerentur, quæ nota essent venditori.—Quis nescit maximam vim existere oratoris in hominum mentibus, vel ad iram, aut ad odium, aut dolorem incitandis, vel ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem, misericordiamque revocandis?

---

1. Fabius Pictor Delphos ad oraculum missus est, sciscitatum quibus precibus suppliciisque deos possent placare Romani.—Bello Helvetiorum confecto, totius fere Galliæ legati ad Cæsarem gratulatum convenerunt.—Galli gallinacei norunt sidera, et ternas distinguunt horas interdiu cantu: cum sole cubitum eunt, quartaque
293 castrensi vigilia ad curas laboremque nos revocant.—Præfecti regis Persarum legatos miserunt Athenas questum, quod Chabrias adversum regem bellum gereret cum Ægyptiis.

---

2. Ad Verrem emtum locum venerunt non solum veteres Agrigentini, sed etiam novi: factumque est ut pretio novus vinceret, lit-

Page

erasque a prætore auferret.—Veientes, adversa pugna subacti, pacem petitum oratores Romam mittunt.—Petentibus Saguntinis, ut quatenus tuto possent, Italiam spectatum irent, duces dati sunt.—Hannibal, in Italia invictus, patriam defensum revocatus est.

Quo brevior, eo dilucidior et cognitu facilior narratio fiet.—Difficile dictu est quantopere conciliet animos hominum comitas affa- **294**
bilitasque sermonis.—Cito nequitia subrepit, virtus difficilis inventu est, rectorem ducemque desiderat.—Quid est tam jucundum cognitu atque auditu, quam sapientibus sententiis, gravibusque verbis ornata oratio?—Egeo consilii: quod optimum factu videbitur, facies.—Hannibal (incredibile dictu!) biduo et duabus noctibus Adrumetum pervenit, quod abest a Zama circiter millia passuum trecenta.—Humanus animus cum nullo alio, nisi cum ipso Deo, si hoc fas est dictu, comparari potest.

O vim maximam erroris!—O præclarum diem, quum ad illum divinum animorum consilium cœtumque proficiscar!—Heu me mise- **295**
rum! cur senatum cogor quem laudavi semper reprehendere!—O te dementem, si tunc mortem times, quum tonet!—O acutos homines! quam paucis verbis putant negotium confectum!—Misimus legatos; heu me miserum!—Me cæcum! qui hæc ante non viderim.—Huncce hominem! hancce impudentiam!—Proh deorum hominumque fidem!

MISCELLANEOUS EXERCISES.

1. Athenienses urbis suæ mœnia ædificabant. Hanc rem moleste ferebant Lacedæmonii; Themistocles autem per hunc dolum eos decepit. Spartam, uti legatus, contendit, et Lacedæmoniis muros ædificari negavit. "Si vero," inquit, "mihi non credatis, certos mittite homines, qui urbem explorent, et interea me detinete." Fecerunt.

2. Themistocles simul nuncium clam ad Athenienses misit, eosque monuit, ut Lacedæmonios exploratores, donec mœnia ædificassent, et seipsum recepissent, quacunque ratione Athenis detinerent. Athenienses ejus consilio paruerunt. Themistocles itaque receptus est; Lacedæmonii exploratores redditi sunt; et Athenæ, Lacedæmoniis invitis, munitæ.

3. Paterfamilias, quodam die, Aristippum philosophum adiit, rogavitque ut filium suum erudiendum susciperet. Philosopho quingentas drachmas pro mercede poscente, pater, qui perquam avarus erat, pretio territus est, dixitque philosopho, se mancipium minoris emere posse. "Ita facito," inquit Aristippus, "et tunc habebis duo."

4. Hasdrubal magno cum exercitu in Italiam trajecit; et, si Hannibali fratri sese jungere potuisset, de Romano imperio actum foret. Sed Claudius Nero, parte exercitus in castris relicta, cum paucis delectis copiis ad Hasdrubalem properavit, et apud flumen Metaurum Livio collegæ sese conjunxit. Hi ambo Hasdrubalem vicerunt.

5. Post hunc Julianus imperii potitus est, Parthisque bellum intulit, cui expeditioni egomet interfui. Complura Persarum oppida expugnavit, aliaque in deditionem accepit. Victor rediens ab hoste occisus est, sexto die ante Kalendas Julias, et anno imperii septimo. Vir fuit eloquentia insignis, eique memoria erat tenacissima. Huic successit Jovianus, qui ab exercitu Imperator electus est (creatus est).

6. Tiberius Sempronius Gracchus, nobilissimo genere natus, Scip-

ionem Asiaticum, quamvis inimicum, duci in carcerem noluit pati. Hic prætor Galliam domuit; primo consulatu Hispaniam, altero Sardiniam, subegit. Cum a populo capitis accusaretur, Sempronius eum morte indignum esse juravit; seque, si in exsilium missus foret, simul cum eo solum esse versurum. Quare absolutus est.

---

7. Bello inter Romanos et Albanos exorto, Hostilio et Fufetio ducibus, priusquam ad pugnam ventum est, placuit paucorum certamine rem finire. Erant forte apud Romanos fratres trigemini, nomine Horatii, itidemque apud Albanos trigemini, Curiatii appellati, ætate et viribus pares. Convenit igitur, ut hi de principatu contenderent, et populi utriuscunque victores fuissent, is alteri imperitaret.

---

8. Conflixerunt; multisque vulneribus utrinque illatis et acceptis, duo Romani corruerunt, et tres Albani graviter vulnerati sunt. Unus Horatius adhuc integer, sed Albanis universis impar, ut eorum vires segregaret, et singulos aggrederetur, fugam simulavit. Eum prout vires eorum vulnerumque dolor sinebant, alius post alium secuti sunt, et eos, uti advenerunt, singulos occidit. Romanus ideo vicit, et hæ duæ civitates eodem nomine in unam consociatæ sunt.

---

9. Curius Dentatus, Samnitibus domitis, in concione dixit, "Agri tantum cepi, ut solitudo futura fuerit, nisi tot homines cepissem; porro autem, tot homines cepi, ut fame periissent, ni tantum agri cepissem." Agros militibus dispertivit viritim, dans dena quaterna jugera, totidemque sibi reservavit, dicens, ducem esse debere neminem, qui parte gregarii militis contentus esse nollet.

---

10. Nemo unquam mitior fuit Scipione Africano: veruntamen aliquid severitatis ad firmandam militarem disciplinam necessarium esse ratus, quodam tempore in cives suos crudelis erat. Carthagine enim devicta, omnibusque, qui ad Pœnos transierant, in suam potestatem redactis, gravius in Romanos, quam in Latinos transfugas animadvertit. Illos tanquam patriæ fugitivos crucibus affixit, hos uti socios perfidos securi percussit.

---

11. Cum Porsena, Hetruscorum rex, Tarquinium Superbum in regnum restituere conaretur, et Janiculum primo impetu cepisset, Horatius Cocles, vir summæ virtutis, ad partem Sublicii pontis extremam sese constituit, et solus, donec pons a tergo dirutus esset, totam vim hostium sustinuit. Deinde in Tiberim se misit, et ad suos transnatavit, vel casu, vel telis hostium illæsus.

12. Græci, post victoriam, ad Hellespontum navigare, et pontem, ne rex effugeret, diruere statuerunt. Hoc iis dissuasit Themistocles, dicens, regem interceptum pugnam redintegraturum esse, et desperationem interdum perficere, quod virtus non possit. Simul eunuchum ad regem misit, eum certiorem faciens, pontem fore dirutum, ni cito effugisset. Xerxes* itaque in fugam se contulit, et Themistocles sic victoriam Atheniensibus servavit.

---

13. Juvenis quidam Zenonis philosophi scholam diu frequentarat. Ubi domum regressus est, pater quid didicisset, ex eo quæsivit. Juvenis modeste respondit, se id moribus suis esse ostensurum. Pater graviter offensus erat, et eum verberavit. Filius omnino tranquillus manebat, dixitque, "Patris iram patienter ferre didici."

---

14. Augusto Cæsare imperante, delphinus, uti fertur, erga pauperis filium, qui eum panis fragmentis pascere solebat, amorem suscepit. Quotidie delphinus, a puero inclamatus, ad summam aquam natabat, et, e manu pastus, puerum e Baiano litore Puteolos ad ludum literarium in tergo vehebat, et eodem modo referebat. Puero mortuo, delphinus aliquoties ad locum consuetum ventitans, et eum desiderans, item mortuus dolore esse dicitur.

---

15. Publius Scipio, ex Africa devicta cognominatus Africanus, Jovis filius fuisse creditur. Nam, priusquam conceptus est, serpens ingentis magnitudinis in lecto matris ejus apparuit; eumque infantem draco amplexus nihil læsit. Expeditionem nullam suscepit, donec aliquandiu in Jovis cella sedisset, quasi divinam mentem acciperet. Natus annos duodeviginti patris vitam ad Ticinum servavit; et cum viginti et quatuor annos haberet, prætor in Hispaniam missus, die ipso, quo venit, Carthaginem (Novam) cepit.

---

16. Virginem eximiæ pulchritudinis, quam bello ceperat, in conspectum adduci vetuit, patrique ejus et sponso restitui jussit. Hasdrubalem Magonemque, fratres Hannibalis, victos Italia expulit; et amicitiam cum Syphace, Maurorum rege, conjunxit. Victor domum regressus, consul ante annos factus est; et in Africam missus Hannibalem superavit, qui ad patriam defendendam Carthaginem redire coactus erat. Repetundarum a Petillio falso accusatus, in voluntarium exsilium concessit, ubi reliquam ætatem (degit) exegit.

---

* As it should be, instead of *Darius*, in the English.

17. Xerxes ante navale proelium, quo a Themistocle victus est, quatuor millia armatorum miserat, qui templum Apollinis diriperent; quasi non eum Græcis tantum, sed et cum diis immortalibus bellum gereret. Hæc manus imbribus et fulminibus tota deleta est. Historici ferunt, hoc factum esse, ut intelligeret, quam nullæ essent hominum vires adversum deos immortales. Impii haud secum reputant, contra deos bellare esse sibi exitium petere.

---

18. Xenophon, Socratis discipulus, solenne sacrum faciebat, cum filium natu majorem ad Mantineam interfectum esse audivit. Veruntamen haud cessavit; sed tantum coronam deposuit, et quonam modo cecidisset, quæsivit. Ubi filium, acie fortiter pro patria pugnantem occubuisse intellexit, coronam capiti placide reposuit, deos testatus, majorem e filii virtute voluptatem capere, quam dolorem ex morte.

---

19. Marcus Aurelius, Imperator Romanus, in sapientiæ studium incumbebat, ideoque Sextum philosophum audiebat. E regia, quodam die, egredienti Lucius philosophus, qui Romam nuper advenerat, ei obviam factus est, et, quonam iret, et ad quod negotium, rogavit. Marcus respondit, "Seni etiam discere decorum est; et Sextum adeo, ut sciam, quæ nondum scio." Lucius, manibus ad cœlum sublatis, exclamavit: "O Jupiter, Imperator Romanus jam senior petit scholam, quemadmodum puer."

---

20. Quum Plato ad ludos Olympicos venisset, omnium in Græcia conventuum frequentissimum, cum ignotis hominibus, iis et ipse ignotus, contubernium iniit. Dum Olympiæ manebat, morum suavitate, sermonibusque ab omni sapientiæ affectatione alienis, ita sibi devinxit, ut talis viri convictu plurimum gauderent. Academiæ tamen aut Socratis nullam mentionem fecit; solum iis dixit, se Platonem appellari.

---

21. Ludis peractis, cum Athenas venissent, Plato eos perhumaniter excepit. Vehementer cupientes philosophum videre, "Monstra nobis," inquiunt, "Platonem philosophum, tibi cognominem, Socratis discipulum, cujus tanta ubique fama est. Duc nos in academiam." Ille, leniter subridens, quemadmodum solebat, dixit, "Ego sum ille." Obstupuere hospites, ubi intellexerunt, se tamdiu Platonis socios fuisse, eum ignorantes.

---

22. Dion, Syracusis a Dionysio tyranno expulsus, Megaram petiit.

Ibi, cum Theodorum urbis principem convenire vellet, atque ad ejus domum idcirco pervenisset, diu ad portam retentus, et denique introire prohibitus, comiti suo placide, "Hoc," inquit, "patienter ferendum est; forsitan et nos, cum in magistratu essemus, interdum talia fecimus." Hac animi tranquillitate conditionem exsilii multo magis tolerabilem reddidit.

---

23. Aristides apud Athenienses, et Epaminondas apud Thebanos, veritatis adeo amantes fuisse feruntur, ut ne joco quidem unquam mentirentur. Atticus etiam, quicum Cicero conjunctissime vixit, mendacium neque dicebat, neque pati poterat. "Illum odi," aiebat Achilles, "æque ac Plutonis portas, qui aliud dicit, et aliud cogitat." "Mendaces," inquiebat Aristoteles, "hoc consequuntur, ut vera dicentibus iis non credatur." Simplicitas sinceritasque hominis naturæ maxime conveniunt.

---

24. Ptolemæus, Demetrio victo, majorem ex moderatione quam ex victoria gloriam sibi comparavit; amicos enim Demetrii non solum cum suis rebus, verum etiam cum donis pretiosis, dimisit; non prædæ causa bellum incepisse dicens. Haud multo post, Ptolemæus, cum Demetrio iterum congressus, ipse victus est, et classe amissa in Ægyptum fugit. Demetrius, quo gratiam referret, ejus filium, fratrem, omnesque amicos, simul cum bonis, ei remisit.

---

25. Cum Augustus Cæsar apud Vedium Pollionem cœnaret, unus ex hujus servis vas crystallinum fregit. Vedius extemplo eum necari jussit; nec morte vulgari erat periturus; nam in piscinam murænarum plenam eum conjici jussit. Puer territus Cæsaris ad pedes confugit. Imperator, crudeli Pollionis jussu commotus, puerum liberari, crystallina vasa omnia frangi, et piscinam compleri jussit. "Quid," inquit, "quia tuum vas fractum est, ideone viscera hominis dilacerabuntur?"

---

26. Cum Pyrrhus, Epiri rex, Romanis bellum intulisset, et a Romano exercitu paucis tantum millibus passuum abesset, medicus Pyrrhi noctu in Fabricii castra pervenit, se regem veneno sublaturum esse pollicens, si pro operæ magnitudine sibi præmium daretur. Fabricius illico ad Pyrrhum eum reducendum curavit, dicens, turpe esse veneno, non armis, cum hoste contendere. Quare rex dixisse fertur, "Sol facilius a cursu, quam Fabricius ab honestate, averti potest."

---

27. Pisistratus tyrannus, in principatu Atheniensi, quem injuste occupaverat, summa æquitate se gessit; et præterquam quod dominandi studiosus erat, nullus eo melior civis fuit. Si quos videret otiosos in foro obambulantes, ad se accitos interrogabat, cur otiosi essent. Si respondissent, sibi esse nec jumenta, nec frumenta, dedit, et eos ad operam sese conferre jubebat. Cum in publicum prodiret, comitabantur eum duo aut tres pueri, qui pecuniam egenis dandam ferebant.

---

28. Gillias Agrigentinus, vir animo quam divitiis locupletior, semper in eroganda, potius quam in contrahenda, pecunia erat occupatus. Ædificia in usus publicos exstruebat, spectacula populo edebat, pauperibus alimenta suppeditabat; virginibus dotes præbebat, hospites benignissime excipiebat, et quodam tempore quingentos equites, tempestate in litus prope suam domum compulsos, aluit et vestivit. Denique quicquid Gillias possidebat, pro patrimonio omnium communi habere videbatur.

---

29. Antisthenes philosophus discipulos suos ut diligenter in studia incumberent hortari solebat: pauci autem obtemperabant. Tandem iratus omnes dimisit. Diogenes, tamen, unus ex iis, magna philosophum audiendi cupiditate accensus, ad scholam ventitabat, et ei pertinaciter adhærebat. Antisthenes se baculo, quem gestare solitus erat, ei caput diminuturum minatus est: et ubi his minis eum non territum esse vidit, quodam die revera verberavit.

---

30. Diogenes tamen haud recessit. "Percute," inquit, "si tibi placet; caput tibi offero; nullum baculum tam durum invenies, qui me a schola tua abigat. Te diligo, teque audire cupio. Quidvis doctrinæ causa ut patiar, in animum induxi." Antisthenes, scientiæ studiosissimum esse videns, rursus admisit, et eum magno amore complectebatur. "Natura," inquit Tullius, "insatiabilem verum quærendi cupiditatem homini ingeneravit, quo sapientior meliorque evadat."

---

31. Themistocles, Persis navali prœlio victis, in concione Athenis dixit, sibi in animo esse consilium, quod reipublicæ salutare foret, sed divulgari non oportere. Postulavit itaque ut aliquis sibi daretur, quicum communicaret, et Aristides ad eam rem nominatus est. Ille tunc Aristidem monuit, classem Lacedæmoniorum, quæ ad Gytheum portum subducta esset, clam incendi, adeoque opes Lacedæmoniorum frangi posse.

32. Aristides, hoc audito, ad concionem rediit, et civibus suis dixit, perutile quidem esse consilium Themistoclis, sed nequaquam honestum. Athenienses, quod honestum non esset, id non utile judicantes consilium, quod ne audierant quidem, Aristide auctore, repudiaverunt. Ad justitiam nati sumus; nec opinione, sed natura, constitutum est jus. Cicero docet, justitiam reginam esse virtutum. Maneat ergo apud nos, quod turpe sit, id nunquam esse utile.

---

33. Anaxagoras Clazomenius, non modo generis nobilitate opibusque clarus fuit, verum etiam magnitudine animi. Hic, ut philosophiæ totum sese traderet, suis patrimonium concessit, et Athenas doctrinarum tunc temporis cultrices petiit. Ibi Pericles ei operam dedit, vir animi excelsi, raræ eloquentiæ, et in pauperes liberalissimus. Accidit tamen, ut, negotiis publicis implicitus, Pericles Anaxagoram præceptorem negligere videretur.

---

34. Senex, hoc sentiens, in lectum se contulit, et, capite obvoluto, inediâ vitam finire statuit. Pericles, hac re audita, ad magistrum advolavit, cum lacrimis orans, ut viveret, et illam sapientiam eamque lucem, quæ sibi tantum profuissent, conservaret. Anaxagoras, capite retecto, placide dixit, "Ii, quibus lucerna opus est, oleum infundunt." Exinde Pericles Anaxagoram magnopere colebat, nec quidem multo post vitam ejus servavit.

---

35. Marcia, Catonis filia, cum maritum mortuum lugeret, quisnam futurus esset ultimus doloris dies interrogata, respondit, sibi fore eundem luctûs finem et vitæ. Necnon Valeria, Messalarum soror, rogata, cur, marito Servio mortuo, nemini vellet nubere, respondit "Mihi semper vivit maritus Servius." Phocionis uxor cuidam dixit mulieri omnes gemmas ostentanti, "Mihi maximum ornamentum est Phocion, pauper quidem, sed jam viginti annos dux Atheniensium."

---

36. Cum rex Porsena Romam obsideret, urbemque se brevi tempore expugnaturum existimaret, C. Mucius, animi audacis adolescens, hostium castra intrare, regemque occidere statuit. Metuens autem ne, si consulum injussu iret, pro transfuga haberetur, senatum adiit, et hæc verba fecit. "Patres, Tiberim transire volo, et, si possim, hostium castra inire; attamen haud prædo, sed patriæ liberator. Præda non mihi est in animo; diis juvantibus, majora mente agito."

---

37. Patres consilium approbant; adeoque, gladio sub veste abdito, proficiscitur. Castra hostium ingressus, in confertissima turba prope regium tribunal constitit. Stipendium forte tum militibus dabatur, atque id accepturi scribam, regi assidentem, et pariter fere ornatum, adibant. Timens sciscitari uter esset rex, ne se Romanum esse aperiret, scribam pro Porsena obtruncavit.

---

38. Cum per mediam turbam mucrone cruento viam sibi faceret, a regiis satellitibus comprehensus, ad tribunal adductus est. Nihil metuens, "Romanus sum," inquit, "civis; C. Mucium vocant. Hostis hostem occidere volui: nec minus paratus est animus ad mortem ferendam, quam ad te fuit interficiendum. Facere et fortia pati, Romanum est. Trecenti juvenes in te conjuravimus; teipsum igitur accingere oportet."

---

39. Cum rex, ira incensus territusque eum cremari juberet, ni propere Romanorum juvenum insidias patefaceret, Mucius in foculum manum injecit, et, "Vide," inquit, "quam vile sit corpus iis, qui gloriam spectant." Cum manum nullo, ut videbatur, doloris sensu in igne teneret, rex, fortitudine ejus attonitus, a sede prosiluit, eumque dimitti jussit. Postridie legatos, qui conditiones pacis offerrent, Romam misit.

---

40. Alcibiades, adhuc puer, quodam die Periclem avunculum suum adiit, eumque, secreto sedentem, et altius cogitantem tristemque invenit. Puer causam quæsivit. "Propylæa Minervæ," respondit ille, "mandato civitatis ædificavi, consumtaque in id opus ingenti pecunia, nescio quo pacto rationem reddam." "Excogita potius," inquit promtissime Alcibiades, "quomodo non reddas." Itaque hic sagax præclarusque vir pueri consilio usus est, et ita egit, ut Athenienses, finitimo bello implicati, rationibus exigendis non vacarent.

---

41. Romanis contra Latinos et Tusculanos bellum gerentibus, consules T. M. Torquatus et P. Decius edixerunt, nequis cum hoste injussu suo pugnaret. Forte inter cæteros turmarum præfectos, qui in diversas partes missi erant, ut, quo in loco hostes essent, explorarent, T. Manlius consulis filius prope stationem Tusculanorum equitum accessit, quibus præerat Mutius vir genere factisque clarus. Hic ubi Romanos equites conspexit, et ante eos incedentem consulis filium, extemplo adequitavit, et Manlium ad singulare certamen provocavit.

---

42. Hac provocatione motus est adolescentis animus, et patris imperium oblitus ad certamen irruit. Primo impetu Tusculanum equo dejecit, et cor transfixit. Inde cum spoliis hostis ad patrem rediit. "Provocatus," inquit, "a Tusculano interfeci, et tibi spolia attuli." Pater milites convocari jussit, quibus audientibus filium ita compellavit: "Tite Manli, consulare imperium contemsisti, contra edictum pugnasti; si tuum exemplum sequerentur alii, de Romano imperio actum foret. Itaque, ne respublica ex tuo facto quid capiat detrimenti, peccatum capite te luere oportet." Egregius igitur adolescens immoderatæ fortitudinis morte pœnas dedit.

---

43. Porcia, Catonis filia, ubi Brutum maritum ad Philippos victum et interemtum esse audivit, ferrum, quo seipsam necaret, poposcit. Hoc non dato, ardentes carbones sustulit, et hausit. Antehac quidem ad mortis dolorem fortiter ferendum sese erudiverat. Pridie quam Cæsar a conjuratis necatus est, novaculam, quasi ad ungues resecandos, poposcit, eâque, postquam accepit, tanquam manu elapsâ, sese graviter vulneravit.

---

44. Ancillæ confestim clamorem sustulerunt, et Brutus, ad causam quærendam, cubiculum intravit. Ubi eam, quod tonsoris officium obiisset, objurgare cœpit, "Haud," inquit illa, "casu, sed de industria, hocce vulnus mihi intuli; mei in te amoris certum est indicium; nam experiri volui, an satis mihi ad mortem ferendam esset animi, si tibi generosum propositum ex sententia haud cessisset." Brutus eam amanter complexus, et manibus ad cœlum sublatis, ardenter precatus est, ut dii conjuge tam eximia sese dignum redderent.

---

45. Ægrotabat Cæcinna Pætus Arriæ maritus; ægrotabat item filius, uterque adeo, ut vita desperaretur. Filius decessit, eximia pulchritudine adolescens, magna verecundia, et parentibus carissimus. Arria huic funus paravit, et ita duxit, ut maritus omnino ignoraret. Quinimo, quoties cubiculum ejus ingrediebatur, filium vivere, atque melius sese habere, simulabat. Rogitanti, quid puer ageret, respondebat, "Bene quievit, et libenter cibum sumsit." Denique, cum lacrimæ, diu cohibitæ, vicissent, prorumperentque, in cubiculum recessit, et seipsam dolori dedit.

---

46. Lacrimis satiata, ad maritum vultu composito rediit, et dolorem ejus, ob filium amissum, lenire conata est. Scriboniano, qui Claudio bellum intulerat, occiso, Pætus, qui ejus partes secutus

erat, ipse Romam trahebatur. Cum esset navem conscensurus, Arria milites oravit, ut una cum eo imponeretur. "Estis," inquit, 'ei famulos suppeditaturi, quorum e manibus cibum capiat, qui vestes ei induant, et a quibus exuatur. Hæc omnia ego ipsa præstabo." Haud tamen impetravit.

---

47. Arria igitur naviculam piscatoriam conduxit, et navem secuta est. Cum Romam pervenisset, et, mariti salute desperata, in mortem esset intenta, a suis diligentissime custodiebatur. Hoc sentiens, "Nihil," inquit, "agitis; potestis enim efficere, ut male moriar; ne moriar, haud potestis." Simulque e cathedra exsiliens caput ingenti impetu parieti impegit, et corruit. Sopita paulisper, ubi ad se rediit, "Vobis," inquit, "dixi me duram mortem inventuram, si mihi facilem negâssetis."

---

48. Pæto interfecto, si marito superesse Arriæ placuisset, ei vivere licitum foret, quia Messalinæ Claudii uxori amicitia erat conjunctissima; atqui cum marito mortem obire maluit. Quinimo, ut eum ad mortem virili animo oppetendam excitaret, ipsa prior in pectore suo gladium defixit, inde vulnere extractum ei porrexit, dicens, "Pæte, non dolet." Amor conjugalis ad dolores vitæ humanæ leniendos, et ejus labores allevandos, a natura constitutus est. Res adversas minuit; atque secundas auget. Voluptates domesticæ omnibus aliis sunt potiores.

---

49. Cum Solon, quodam die, unum ex amicis tristissimum videret, in arcem perduxit, et domos oculis subjectas contemplari jussit. Postquam ita fecisse animadvertit, "Cogita nunc tecum," inquit, "quot dolores sub his tectis fuerint, nunc versentur, et posthac sint futuri; ac mala, omnibus communia, quasi tibi propria lugere desinas." Idem aiebat, si omnia hominum mala in unum locum essent collata, fore, ut quisque, mole explorata, sua quam aliena ferre mallet.

---

50. Sub hoc tempus casus multo gravior Priamo evenit regi Trojano. Helenam Menelai regis Spartani uxorem a filio Paride, seu Alexandro, abreptam reddere nolens, regno post decennii obsidionem orbatus est, simulque vitam amisit. Troja eversa est quadringentesimo trigesimo sexto anno ante Romam conditam, et mille centum et octoginta quatuor annis ante Christum natum. Æneas Trojanus pietate insignis, cui Græci pepercerant, patria relicta, post varios terra marique casus, in Italiam pervenit, et Latino, cujus filiam duxerat, Latinorum regi successit.

51. Crœso, Lydorum regi, filius fuit, eximiæ pulchritudinis, ingenioque præstans, attamen naturâ mutus. Ad emendandum hoc vitium cuncta expertus erat pater; omnes autem medicorum artes nihil profecerant. Cum exercitus Persarum Sardes expugnasset, milesque, in Crœsum gladio destricto irruens, eum esset occisurus, regem esse ignorans, patris vitæ timens adolescens summopere et repente vocem mittere nisus est, et linguæ vinculo rupto exclamavit, "patrem Crœsum ne occidas."

---

52. Cervus, altero oculo captus, in litore pascebatur. Quo certius saluti suæ prospiceret, e mari nihil periculi timens, oculum integrum semper in terram vertebat. Forte prætervehebatur navis, unde nautæ eum conspicati sunt; et quidam ex iis sagittam in eum collineavit, vitamque eripuit. Se lethali vulnere affectum esse sentiens, "Heu me miserum," exclamavit, "quantum erravi; quantopere spem fefellit casus? Terram, unde nil mali accidit, metuebam; et mari confisus sum, unde mors me oppressit." Fabula monet, quæ utilia esse existimemus, ea sæpenumero cladem luctumque nobis afferre.

---

53. Epaminondas, non solum apud Thebanos, sed etiam apud omnes suæ ætatis Græcos, sine controversia princeps extitit. Antequam Thebani eo duce usi sunt, nihil memorabile gesserant; et, eo mortuo, cladibus tantum, quas passi sunt, insignes fuerunt. Quam fortiter et quam libenter vitam pro patria profuderit, hæ res satis testantur. Cum Mantineam, Arcadiæ urbem, exercitu instructo oppugnaturus esset, Lacedæmonii, in ejus perniciem intenti, eum unum adorti sunt, nec prius abstiterunt, quam eum cadere vidissent.

---

54. Cum ad castra eum detulissent sui, aliquandiu omni sensu carebat; animo autem redeunte, se vulnus mortiferum accepisse sentiens, ex astantibus quæsivit, num clypeus salvus esset. Quum flentes hoc ei confirmassent, sibi eum afferri jussit. Clypeus itaque allatus est, eumque uti laborum gloriæque socium est oculatus. Inde, an victi essent hostes, quæsivit. "Imo," respondentibus, "Jam," inquit, "satis diu vixi; morior enim invictus." Tum hastam e vulnere extrahi jussit, et confestim animam efflavit.

---

55. Vulpes esuriens panem et carnem, quæ a pastoribus in cava arbore relicta erant, conspicata, ingressa est et devoravit; ventre autem tumefacto, quum egredi non posset, gemere et conditionem

suam lugere incepit. Vulpes altera, quæ forte præteribat, gemitus ejus audiens, accessit, causamque ex ea quæsivit. Quod acciderat edocta, "Illic," inquit, "tibi manere necesse est, donec talis fueris, qualis ingressa es." Fabula monet die difficilia amoveri.

---

56. Senex ligna in silva cæsa domum portabat. Multum viæ progressus fatigatusque ligna deposuit, et suæ conditionis mala senectutem, debilitatem, et inopiam animo versari cœpit. Tandem vitæ pertæsus Mortem, ad miseriis sese liberandum, invocavit. Mors senis preces audivit, et protinus comparuit, simul quid vellet interrogans. Senex, valde perterritus, respondit, "Ad nihil aliud te invocavi, nisi ut mihi onus allevares, et tergo imponeres." Fabula monet, in rebus etiam maxime adversis, omnes vitam morti præponere.

---

57. Mulierem sanguine illustrem capite damnatam prætor in carcere necandam Triumviro tradidit. Is, qui custodiæ præerat, misericordia motus, eam ex decreto haud protinus strangulavit, sed fame perire malebat. Nihil igitur cibi ei præberi passus est; nec filiam, cui aditum permisit, carcerem intrare sinebat, donec eam diligenter excussisset. Postquam complures dies præterierunt, et adhuc ea vivebat, custos curiosius filiam observatam matris vitam suo lacte sustentare animadvertit. Quæ res ad judices perlata, filiæ pro pietatis præmio eximiæ, matri remissionem pœnæ impetravit.

---

58. Demetrius Poliorcetes urbem Megaram expugnarat. Ei Stilponem philosophum roganti, numquid amisisset, "Nihil," respondit hic, "amisi; omnia enim bona mea adhuc mecum sunt." Atqui patrimonium ejus fuerat direptum, filii abducti, et patria capta. Veruntamen affirmavit se nihil damni cepisse; sibi enim adhuc esse veras opes, doctrinam et virtutem, quæ hostis sibi adimere nequiret. "Quibus me spoliarunt milites," inquit philosophus, "ea pro meis nunquam habebam." Nemini id suum est dicendum, quod in fortuna sit positum; ipsius enim hodie, cras forsan sit alienum.

---

59. Alexander magnus, Dario ad Issum victo, quosdam e suis misit, qui Darii matrem uxoremque captivas edocerent, se venire ad eas invisendas. Paulo post nuncium missum, earum tabernaculum iniit, Hephæstione, qui regi par erat ætate, corporis autem habitu superior, comitante. Reginæ igitur captivæ Hephæstionem regem esse putantes more Persarum veneratæ sunt. Darii mater, de errore monita, sese Alexandro ad pedes projecit, veniamque ora-

vit. Rex, eam manu allevans, comiter respondit, "Nihil errasti, nam hic etiam est Alexander."

---

60. Rhacoces, genere Mardus, septem habebat filios, quorum minimus natu Cartomes, adolescens ultra annos audax, quotidie fratribus suis aliquid mali inferebat. Cum pater eum sæpenumero, sed necquicquam, admonuisset, judices, qui jussu regis Persarum provincias, ad jus dicendum, peragrare soliti erant, forte in eam regionis partem venerunt quam Rhacoces incolebat. Adventu eorum cognito, filium comprehendit, manibusque post tergum revinctis, ad judices traxit, et contumaciæ ut capite pœnas persolveret, postulavit. Judices, hac inusitata postulatione obstupefacti, sententiam haud pronunciarunt, sed ambos ad regem Artaxerxem deduxerunt.

---

61. Ubi coram rege Rhacoces aderat, ut filius capite plecteretur rogavit. "Tune ergo," inquit rex, "filium morientem spectare sustinebis?" "Imo," respondit ille, "cum amaros lactucarum surculos amputo, mater eorum nihil injuriæ patitur; e contrario autem magis efflorescit: ita, cum hoc filio meo liberatus ero, res sese eo melius habebunt, atque vivam quietus. Artaxerxes eum laudibus extulit, et inter judices sedere jussit, dicens, qui tam juste de filio sententiam tulisset, eum haud dubie fore æquum in aliis judicem. Rex simul filium apte admonitum dimisit.

---

62. Cum Pyrrhus, Epiri rex, e Sicilia rediens Locros præterveheretur, ædem Proserpinæ spoliavit; et, pecunia in naves asportata, ipse terra profectus est. Quid evenit? Classis, proximo die, fœda tempestate lacerata est; omnesque naves, quibus sacra pecunia inerat, in litus Locrorum ejectæ sunt. Hac clade Deum esse edoctus, omnem pecuniam conquiri, et in templum referri, jussit. Posthac nihil unquam huic prospere cessit. Italia expulsus est, et ignobili morte periit, ab anu paupercula, cum urbem Argos aggrederetur, interfectus.

---

63. Erat Cleanthi valde obtusum tardumque ingenium, etiamque summa rerum inopia. Cum vero sapientiæ amor ejus animum occupasset, studio et diligentia tarditatem ingenii vicit, Zenoni interdiu operam dans, et noctu, aquam e puteo in hortulani usum hauriendo, aliquantulum pecuniæ merens. Fertur, aliquando ad judices esse vocatum, quod, etsi robusto corpore, nullam artem, qua victum quæreret, facere videretur. At ubi hortulanum, cui aquam haurie-

bat, quæstus sui testem adduxit, non solum dimissus est, sed etiam decem minis donatus, quas autem accipere noluit.

---

64. Socrates philosophus, inter antiquos celeberrimus, dicere solebat, nihil a diis esse petendum, nisi ut, quæ profutura essent, ea nobis tribuerent. A juvene quodam consultus, num uxorem ducere, an matrimonio abstinere oporteret, respondit, utrumcunque fecisset, fore ut eum pœniteret. Cum Athenienses diram de capite sententiam tulissent, venenum e carnificis manu firmo animo, et vultu immutato recepit. Poculum labris cum admoveret, et uxor in lacrimas effusa innoxium mori clamaret, "Quid ergo," inquit, "visne me mori nocentem?"

---

65. Dum Philippus bellum contra Ætolos comparabat, Demetrius, rex Illyriæ, nuper a Paulo consule devictus, precibus suppliciter eum aggressus est, injuriam Romanorum querens, qui, Italiæ possessione non contenti, totius orbis principatum captarent, et bellum cum omnibus regibus gererent. "Siciliæ, Sardiniæ, et Hispaniæ," inquit, "imperium affectantes, Pœnos adorti sunt, nec quicquam aliud est, quare mihi sint infesti, quam quod mei ipsorum fines attingunt. Insuper addidit, quo Philippum Romanis dominandi cupidis ad resistendum excitaret, se illi regno cedere, quod hi inique occupassent, gratius habiturum, si in possessione imperii sui socium, potius quam hostem videret.

THE END.



WERT
BOOKBINDING
Grantville, Pa
Sept.-Oct. 1988
We're Quality Bound